MIRKHOND

HISTORIA
PRIORUM
REGUM PERSARUM
POST FIRMATUM IN REGNO ISLAMISMUM.

EX
MOHAMMEDE MIRCHOND
PERSICE ET LATINE
CUM
NOTIS
GEOGRAPHICO LITERARIIS.



VIENNÆ,
Typis JOSEPHI NOBILIS DE KURZBECK, Sacr. Cæs. Reg.
Aulæ Illyrico-Orientalis, nec non Incl. Inf.
Austriæ Ord. Typ., et bibliop.

MDCCLXXXII.

WENCESLAO
A
KAUNITZ RIETBERG
ROM. IMP. PRINCIPI
ORIENTALES UT LITERÆ
AUSTRIACIS IN TERRIS
VIGERENT,
OLIM
AUSPICI ET PRAESTITI.
NVNC
ENATI UT INDE FRUCTUS
COMMUNEM IN USUM
CEDANT,
FAUTORI ET PROTECTORI.
BERNARDUS DE IENISCH
D. D.

L. S.

SUNT, ſi quæ alia in rebus literariis uſque adhuc minus elaborata dici queunt, in hiſtoricis certe plurima, eaque imprimis quæ ad *Aſiaticarum*, & exterarum gentium geſta pertinent. Cujus haud quemquam ratio fugerit, ubi fontes, ex quibus haurire noſtratibus adhucdum licuit, diligentius apud animum ſuum reputarit.

Et ſane rara admodum illa ſunt hiſtoriæ adminicula, ex *Turcarum*, *Arabumque* monumentis petita; novem licet, & quod excedit ſeculis, perpetua fere *Europæis* nunc pace, nunc bello cum barbaris hiſce nationibus negotia tractanda occurrerint.

Rariora, quin rariſſima ea ſunt, quæ ad res *Perſarum* eruendas adjumento eſſe poſſent (premo ſilentio *Indos*, *Tataros*, & gentes reliquas) quamquam *Perſis* & cum *Græcis* olim, *Scythisque*, & poſterioribus temporibus cum *Ruſſis* frequens interceſſerit commercium, variis nempe jam bellorum, jam legationum cauſſis oblatis. Neque eſt, qui ad hanc hiſtoriæ partem (ut quid in iis fuiſſe præſtitum dici queat) illa accenſeat, quæ clariſſimi viri *la Croix*, pater, filiusque una cum *Joneſio*, de *Dſchengizchano*, *Timurbeghio*, & *Schah Nadirio* juris publici fecere; præterea enim, quod hæ haud connexæ ſingularium tantum epocharum particulæ ſint, in omnibus inſuper auctoris *Aſiatici* verba, ad rem illuſtrandam apprime neceſſaria, deſunt, atque in binis quidem prioribus ipſa etiam in translatione adcuratio deſideratur; ut id ipſum in *Commentatione de fatis LL. OO.* innui.

Neque omni auctoritate deſtituitur hic in medium prolata de rariſſimis *Perſicæ* inprimis hiſtoriæ fontibus ſententia, publico utpote, dum hujus mentio haud ita pridem in *Anthologiæ Perſicæ* præfatione incideret, judicio corroborata.

Pretium

Pretium igitur operæ futurum, haud vane mihi pollicebar, ſiquidem eam hiſtoriæ partem, e *Mirchondii* opere depromtam, quæ primorum regum poſt ſtabilitum in *Perſide* Islamismum res geſtas complectitur, una cum translatione *latina* typis ſubjicerem.

Coeptum cum novitate quidem, ſed non minus cum publica etiam utilitate, niſi plane me ſpes fallat, conjunctum.

Mirchondius enim vero, vel, ut cum *Perſis* loquar, *Mohammedes*, filius *Chawend Schah*, filii *Mahmudi*, tum ob univerſam, quam opere ſuo complexus eſt, regni hiſtoriam, tum ob ſimplicem rerum in ea occurrentium veritatem (illa enim cumprimis, quæ poſt firmatum Islamismum geſta ſunt, optimorum codicum auctoritate nituntur) tum ob ſtili denique puritatem, & nitorem id conſecutus eſt, ut ſuos inter omnium facile hiſtoricorum princeps, neque noſtratibus ob nominis celebritatem ignotus, quin a multo jam tempore eſſet etiam expetitus.

Nam quæ Luſitanus ille peregrinator *Petrus Texeira*, & orientalis polyhiſtor *Herbelotius*, ex hoc hiſtoriographo excerpta olim edidere, accendunt potius, quam explent literatorum deſideria.

Superiori equidem ſeculo novam meliorum artium ſtudiis orituram lucem *Schikardius* prænuntiabat, ubi alterius illius *Plutarchi* (ita enim *Perſam* hunc nominat) ſcripta doctis *Europæ* viris palam innotuerint; fore enim vir bonus ſibi pollicebatur, ut doctiſſimus bibliothecæ Cæſareæ cuſtos, *Sebaſtianus Tenaglius*, itemque operis *Mirchondiani*, nunc temporis codices inter manuſcriptos bibliothecæ Cæſareæ aſſervati, poſſeſſor, hujus edendi in ſe curam ſuſciperet; verum inania hæc fuiſſe vota, eventus docuit.

Felicius certe iſtud *Meninskium* præſtiturum fuiſſe, mihi perſuaſum habeo, ſi vita ipſi longior ſuppetiiſſet; & ipſe enim *Mirchondianum* opus cum translatione *latina* in lucem emittere moliebatur.

Quod itaque variis præpeditum fatis intentatum in hodiernam diem relictum eſt, id, eruditiſſimi viri, *Henrici Schultenſii*, qua *de propagandis finibus linguarum orientalium* uſus eſt, admonitione incitatus, novis ſane auſibus præſtare aggreſſus ſum, *Mirchondium* nempe *ab oblivione vindicare.*

Aſt

Ast haud integrum opus edere, est animus, id enim consilii & conatu operosum, & ob scriptionis multitudinem difficile, & sumtuosum, nec omni denique ex parte communi usui esset opportunum.

Quare inde ab eo tempore ordiri placuit, quo confirmata jam Islamitica religione, proprios denuo principes *Persia* nacta est; quæ epocha eo profecto clariori luce digna videtur, quo magis incerta usque adhuc rerum, illic gestarum, series permansit.

Arabes enim, ne, profanam quoque suorum principum, quos *Chalifas* dixere, potestatem ex primis *Persidis* dynastiis detrimenti quidpiam accepisse, palam fieret, easdem cum inopi hominum multitudine, cujus principibus fiduciario duntaxat jure provincias regere licuerit, in annalibus suis exæquabant.

Contra ipsos rerum *Persicarum* scriptores si consulimus, manifestum fit, vastum illud *Persiæ* imperium, quod post eversum *Jezdedschirdi* solium in tertium usque seculum Chalifis erat obnoxium, excusso pedetentim horum imperio, in minores primum distractum principatus, mox, propria inducta regni forma, propriis etiam monarchis paruisse, quorum auctoritas, viresque ea brevi tempore incrementa ceperant, ut ipsis adeo Chalifis usque eo jura darent, dum effusus in *Persiam*, & omnem *Asiam* citeriorem *Mogulensium* exercitus sub *Dschengizchano*, proximisque hujus successoribus parem *Persis* æque, ac *Arabibus* calamitatem inferret.

Sed jam, ne præfixos excedam limites, de ipsa, quam in hac editione collocare necessum videbatur, cura, pauca præfari lubet.

Auctoris *Persici* ut sensa, & animum, quantum licuit, exprimerem, duos, quos ipse possideo, manuscriptos codices omni solicitudine contuli, binos quoque illos in bibliotheca Palatina hic repositos collaturus, idque eo lubentius, quod ob scripturarum nitorem præ aliis commendari mereantur. Sed enim horum unus, isque olim *Tenaglianus*, ab eo jam tempore, quo *Neselius* catalogum vulgaverat, posteriori volumine caret, etsi quondam integrum hic loci extitisse, ex iis suspicari liceat, quæ de ipso hoc *Tenagliani* codicis exemplo in proemio ad *Tarich* suum *Schikardius* retulit; alter demum, ex *Schwachheimiana* librorum collectione assertus, integram quidem duobus voluminibus

Histo-

hiſtoriam complectitur, verum, neſcio, quo invido fato accidit, ut ipſa illa folia, queis præſens hiſtoriæ particula continetur, plane deſiderentur.

Verſionem, quoad fieri poterat, fidelem quidem, aſt *ponderatis* potius, quam *numeratis* juxta *Tullii* mentem *verbis*, *latinæ* ſimul linguæ genio accomodatam in lucem dare conſtitui.

Annotationum eum delectum inſtitui, non ut opus mole vaſtum redderem, ſed commentatione illuſtrarem. Plurima itaque, quæ huc facerent, vel ex manuſcriptis codicibus aliis, vel libris certe, inventu rarioribus, depromere viſum eſt.

In præſens denique binæ duntaxat *Perſidis* dynaſtiæ, eæque ordine primæ, *Taheridarum* videlicet, & *Soffaridarum* in lucem prodeunt, quas facile, ſi reipublicæ literariæ hujus editionis ratio probabitur, & reliquæ ſubſecuturæ ſunt, ſuam in iis elaborandis operam locante *Plur. Rev. D. Franciſco Höck*, cujus, quoniam mihi, gravioribus curis diſtento, quin morbo etiam per hoc tempus impedito, ſubſecivis duntaxat horis vacare his laboribus licuit, fida promtiſſimaque opera uſus ſum. Quod ſi minus hæc coepta eruditorum votis reſpondeant, id ſummo, & importuno fortaſſis, orientalem literaturam promovendi ſtudio, quo plurimis jam retro annis in eandem feror, concedendum. Dabam Idibus Decembris A. C. CIƆIƆCCXIXC.

HISTO-

HISTORIA
PRIORUM
REGUM PERSARUM,
POST FIRMATUM IN REGNO ISLAMISMUM.

DYNASTIA TAHERIDARUM.

Taherus Zuül-jeminein sibi, successoribusque suis supremum imperium vendicat, qui reges Tahiridæ compellantur.

T*aherus*, filius *Husein*, filii *Moasab Hozai*, interfecto *Mohammed Emino*, sexto *Abassidarum* Chalifa, successorem, fratremque ejus *Mamunum*, ex *Chorosanæ* provincia *Bagdadum* concedentem secutus, eos inter, qui individui comites principi adhærebant, usque eo familiaritate illius utebatur, dum die quadam *Mamunum* adiens, compotationibus indulgentem conspexisset; cui princeps mox vini pocula quæpiam ab *Huseino* eunucho præberi jussit; post quæ tamen lacrimæ ipsi oboriebantur.

Quare *Taherus* principem allocutus, o princeps credentium! inquit, ab ortu ad occasum usque omnis orbis tuo paret imperio, haud igitur tui mente assequor mœroris caussam; cui princeps, fletus mei ea est ratio, ut, si originem, caussamve pandam, contemtu, & ignominia afficiar, si celem,

 summo

ſummo mœrore mens mea angatur; & vix quispiam curis vacat; his dictis in amarum adeo erupit fletum, ut *Tahero* nullus porro ſupereſſet ſciſcitandi locus.

Subducens itaque ſe ſe a conſpectu principis, neque boni quid ominans, familiarium quemdam *Huſeini* eunuchi illico quæſierat, cui magnam pecuniam tradidit, quam ad manus *Huſèini* conſignaret, illudque efficeret, cauſſam hic ut fletus a principe expiſcaretur.

Familiaris hic, traditis *Huſèino* duobus ſupra viginti aureorum millibus, *Taheri* vota eidem expoſuit.

Qui altera mox die, ſimul ac pedis honoraretur oſculo, vinum Chalifæ petenti negans, per Deum! inquit, vinum fidelium principi non miniſtrabo, dum is, heſterni fletus, quæ cauſſa ſit, ſervo huic ſuo aperiat; quærenti *Mamuno*, quid ipſius hæc ſcire interſit? reponebat, ſe ad hanc temeritatem eo inductum eſſe, quod mœſtitia principis ingenuum animum ſuum oppido excruciet.

Tum *Mamunus*: ſi arcanum hoc revelaveris cuipiam, morte te multabo; nunquam repoſuit *Huſèinus* vitio meo arcanum ullum in publicum prodiit. Igitur princeps: ut primum *Taherum* conſpicio, ſimul e veſtigio memoria fratris mei *Mohammed Emini*, hujusque violenta mors tanto cum pudore, eaque mentis confuſione mihi ſe oggerit, ut lacrimas cohibere nequeam.

Huſeinus mox iſta ad *Taherum* referri curat; qui rebus ſuis conſulturus, ad Vezirium *Ahmed*, *Abu Chalid* adibat, talibus eum verbis compellans: qui mihi, rebusque meis commodat, non ingrato beneficium locat. Queis dictis animi ſui ſenſa exponens, multis precibus inſtabat, rem eo velit

lit perducere , in quæpiam ut confiniorum loca fibi fecedere liceret; hac demum ratione a *Mamuni* indignatione, & concitatiore fortaffis animi commotione tutum fe, liberumque futurum.

Taheri precibus annuens Vezirius , cum forte pro muneris fui ratione ad principem properaret, mox de regni ftatu a Chalifa interrogatus, jam plures fe, & infomnes, & curarum plenas, egiffe noctes affirmabat; reique cauffam fcifcitanti *Mamuno* referebat, *Chorofanæ* regnum male profecto cuftoditum effe, eique *Tatarorum* imminere exercitum; *Ghafanum*, huic provinciæ præfectum, nequaquam eidem ftrenue defendendæ fufficere. Rogitanti rurfus *Mamuno*, quid faciendum effet? fuggerit *Ahmed Chaledus*, ad tuenda regni hujus confinia mittendum effe *Taherum*; haud ipfi ifta concredo, reddit Chalifa, quin metuo, ne ipfe fubin mihi moleftus accidat. Sed enim Vezirius, fe vadem fore omnium profitebatur, quæ per *Taherum* minus recte agerentur; quo dicto, princeps denique confenfit. *Taherus* igitur in *Chorofanam* iter agreffus, nonmulto poft tempore fumma poteftate, quam fibi arrogaverat, huic regno præeffe cœpit.

Rei geftæ feriem *Kelfum*, filius *Sabit*, his verbis exponit: Quo tempore fub Chalifatu *Mamuni* tabellariis regiis præfectus in *Chorofana* eram, quadam die veneris *Taherus*, fuggeftum in fano confcendens, publicas preces recitare cœperat, atque, ubi mentio Chalifæ nominis facienda erat, verba ifthæc fufficiebat: *O Deus! conferva probum populum tuum Moslemicum, uti probus a fanctis tuis effectus eft. Retribue malum viro, qui adverfus hunc rebellis, turbas excitat, ejusque fanguini inhiat. Fiat expiatio inter utrumque.*

His

His auditis, illud mente volutabam, qui in hoc dubio rerum ſtatu cadet victima, ego primus ero; hoc utique principem meum celare nequeo. Domum itaque repetii, atque peracta, mortuis fieri ſolita, lotione, paratoque ferali amiculo, quæ evenere, literis conſignavi, neque addens, neque imminuens quidquam, easque *Bagdadum* illico transmiſi. Altera die quidam ante ſolis ortum ex gubernatoris palatio me quæſitum advenerat; fidei igitur confeſſionis dicta formula eo proceſſi, tum ecce *Taleha* filius *Taheri*, e cubiculo procedens, ex me quæſivit, num, quæ heri eveniſſent, *Bagdadum* ſcripſerim? me id affirmante, ſubjecit, mortem quoque *Taheri* hodie adderem; quam, domum regreſſus, Chalifæ pariter ſignificavi.

Fertur *Mamunus*, primo nuntio accepto, in mandatis dediſſe Vezirio, ut quam celerrime iter in *Chorosanam* inſtitueret ob interpoſitam ſuam pro *Tahero* fidem. Verum vix juſſa principis in exercitu adornando exequi parantem, ſubitus, ſequenti die de *Taheri* morte allatus alter nuntius, a maximo capitis diſcrimine liberavit.

Fama eſt, *Taherum*, qui & ambidexter audit, poſtquam *Mamuni* nomen a publica oratione excluſiſſet, finita conſueta die veneris oratione, hac eadem nocte febri correptum, altera mox die mortuum in lecto repertum eſſe.

Chorosanam is anno uno cum dimidio rexerat, agnomen *Abuet Tybii* præſeferens, unoque privatus oculo; unde non inlepide poeta quispiam cecinit:

O! qui poſſides binas dexteras, & unum tantummodo oculum,
Privaris uno oculo, & altera tibi dextera ſupereſt.

Tale-

Taleha, filius Taheri, Chorosanæ provinciæ præficitur.

Anno ducentesimo nono, relatis ad *Mamunum* de *Taheri* morte nuntiis, literas regias is ad *Taleham* miserat, queis *Chorosanæ* regimen curæ ipsius concredidit.

H. 209. incep. 3. Maji An. C. 824.

Refertur *Abdullahius* eo tempore, quo pater mortem oppetiit, *Raccæ* debellando *Nasro* filio *Schebibi*, infensissimo Chalifæ hæretico, occupatus fuisse; a *Mamuno* igitur omnibus itidem provinciis, & regnis, quibus pater præerat, præfectus, *Chorosanam* fratri suo *Talehæ* vicario nomine gubernandam concredidit, quin ulla animi inquietudine Chalifa commoveretur.

Eodem, quo *Taleha Chorosanæ* præerat, tempore *Hameza* motus in provincia *Sistan* excitaverat; quem cum, deducto illuc exercitu, post acrem pugnam devicisset, redacta in obsequium provincia, *Chorosanam* reversus est.

Anno ducentesimo decimo tertio *Taleha*, morbo correptus, ad æternitatem transiit. *Ali*, filius ejus, qui substitutionis jure patri succedebat, a tumultuario seditiosorum manipulo bello petitus, commisso in terris *Nischaburi* prælio, haud paulo post vita exutus est.

H. 213. incep. 21. Mart. An. C. 828.

Abdul-

Abdullahius, filius Taheri ambidextri imperium capessit.

Abdullahius, filius *Taheri*, *Mamuni* jussu ad reprimendos temerarios *Babeki Huremdini* ausus exercitui conscribendo in urbe *Dinavar* operam dabat, cum *Bagdadi* de novis hæreticorum motibus, & de cæde *Talehæ* renunciaretur; *Mamunus* itaque *Abdullahio* nuntiari curat, ut *Chorosanam* ocius adiret, atque seditiosa earum partium consilia infringere niteretur. *Abdullahius* Chalifæ morem gerens, in *Chorosanam* iter ingressus est. Maxima tum rerum penuria ea provincia laborabat, cœlum item salutarem negabat pluviam, ita, ut colonus omnem jam futuræ messis spem abjiceret. Sed ecce! adveniente in urbem *Nischabur Abdullahio*, portæ misericordiæ disruptæ, largum imbrem impertiebantur.

Sub felici deinceps *Abdullahii* gubernio *Chorosana* mire excolebatur.

H. 215. incep. 27. Febr. A. C. 830.

Anno ducentesimo, & decimoquinto *Azizius* quidam, *Abdullahii* olim mancipium, ad priora principis hujus servitia ex *Aegypto* rediens, ubi ad urbem *Kum* venisset, cum exercitu sibi obviam habuit *Giafarum*, filium *Davidis*, Chalifæ imperium ea tempestate detrectantem, quem acie fudit, fugavitque.

H. 216. incep. 17. Feb. A. C. 831.

Anno ducentesimo decimo sexto *Abdullahius* ipse refractarios illos *Chorosanæ* hæreticos funditus delevit, & extirpavit.

Mamu-

Mamuni, e vivis ſub hæc tempora ſublati, ſucceſſor *Moateſimus*, ſuæ in *Choroſanæ* principatu confirmationis teſtes literas cum vexillo *Abdullaho* miſit, filiumque ipſius *Mohammedem*, *Bagdadi* inſtituendum, ſuſcepit, eo in loco ſemper habitum, ut illum ceteris nobilibus anteferret omnibus, vita autem functo, juſta ipſe perſolveret.

Anno ducenteſimo vigeſimo ſeptimo ſupremum diem *Moateſimus* obiit, filio *Waſekio* in parentis locum Chalifa ſalutato, qui in eodem impendendo, quin amplificando etiam *Abdullaho* honore nihil omnino prætermittebat. H. 227. incep. 20. Oct. A.C. 841.

Anno ducenteſimo trigeſimo *Abdullahus* fatis conceſſit, poſtquam annis octo *Choroſanæ* imperans, quinque ſupra quadraginta, ut nonnulli volunt, vitæ annos exegiſſet. Vir juſtitiæ, & liberalitati majorem in modum deditus, literisque excultus adeo, ut arabica quoque conderet poemata. Quare poetæ illius temporis mortem ejus variis næniis, & epicidiis concelebrabant. H. 230. incep. 17. Sept. A.C. 844.

Hiſtoria noſtra ad hunc locum deducta, non alienum erit, eventum, qui modo admodum nobis in mentem venit, hic enarrare. *Choroſanam* obtinente ſummo cum imperio *Abdullaho*, filio *Taheri*, fertur, cœtus magorum quidam pyreum in urbe *Herat* fano Moslemico vicinum habuiſſe, cui, peracto ſingulis annis cenſu, uti ſacra *Mohammedis* lege cautum, ab omnibus moleſtiis, ac oneribus libero eſſe licuit. Accidit autem, ut die quadam Moslemicus præco, in vico *Malan* ad populum verba faciens, refrigeſcere Moslemiſmi ardorem adſereret, id eo comprobari dictitans, quod pyreum in urbe *Herat* proxime fano Moslemico adjacere impune ferrent. Moslemorum fervore mirum quantum his

verbis excitato, maxima hominum turba confluens, ingruentibus tenebris, una cum fano suo pyreum quoque solo æquavit, nullo omnino ædificii utriusque vestigio relicto, atque eadem nocte fanum sibi aliud eo prorsus in loco, quem pyreum prius cum fano simul occuparat, extruxit. Magi incuriæ somno excusso, ubi ne ullum quidem vel fani, vel proprii etiam pyrei vestigium deprehenderent, vehementer attoniti, investigata, & comperta denique certa caussa ex urbe *Herat* celeres contendunt *Nischaburum*, ubi ea, quæ accidissent, his *Abdullaho* verbis conquerentes exponebant: Te principe hujusmodi petimur injuriis; his itaque ad tuam notitiam perlatis, spe alimur, fore, ut justitiam tuam experiamur. *Abdullaho* de re tota uberius edoceri cupiente, cum vectigalibus præfecti, quibus id commissum erat, ad locum, ubi solicita quæstio habenda erat, pervenissent, quatuor millibus plures viri, confectæ plane ætatis, tum ex urbe *Herat*, tum vicis, urbi adjacentibus, in unum coacti, uno ore testabantur, se, dum viverent, fanum isthoc nunquam in alio, atque modo sit, vidisse statu, neque in isto loco fanum, aut pyreum stetisse antehac. Quo testimonio, boni se quidpiam præstisse, opinabantur.

Succedit Taherus filius Abdullahi.

Nuntiata mox *Abdullahi* morte, *Wasekius* Chalifa filium ejus *Taherum* omnes provincias, queis parens præerat, regere,

gere, ac gubernare voluit, fratrumque singulos, amplissimis muneribus præfectos, singulari etiam benevolentia prosecutus est. Ita bini post captum a *Tabero* gubernium elapsi anni, cum & ipse *Wasekius* naturæ debitum penderet.

Mutewekilius, ubi primum Chalisatus insignia consecutus est, sine mora *Tabero*, literis consignatam, pariter inaugurationem cum vexillo submisit.

Anno ducentesimo trigesimo septimo *Taberus* fratrem *Mohammedem*, filium *Abdullabi Bagdadum* concedere jussit, quem *Mutewekilius* exercitui præfectum, in omnibus simul terris Moslemicis Vicarium sibi substituit.

H. 237. incep. 4. Jul. A. C. 851.

Eodem tempore *Mutewekilio* nuntiabatur, ab *Aysa*, filio *Mohammedis*, filii *Giafar*, filii *Mohammed*, filii *Asem*, (qui ex *Babyloniæ* principibus) *Abu Bekrum*, *Amrum*, *Aischam* convitiis lacessitum esse. Hinc Chalifa *Samirra*, ubi degebat, in mandatis dederat *Mohammedi*, *Aysam* ut catenis vinciret, quin, dum animam efflaret, verberibus castigaret, corpusque exanime in *Tigrim* fluvium projiceret. Queis mandatis *Mohammedes* sedulo obtemperabat.

Taberus quoque, filius *Abdullabi* reliquum vitæ tempus in regenda *Chorosanæ* provincia traduxit, dum sub *Mustæini* Chalifæ imperio mortem denique oppeteret.

Mohammedes, filius Taberi, ultimus de Taberiorum famlia, Chorosanæ imperium adit.

De morte *Taberi* certior redditus Chalifa *Mostæinus*, *Mohammedi*, filio *Taberi*, *Chorosanæ* gubetnationem demandat,

dat, patruo illius *Mohammede*, filio *Abdullahi*, *Iracæ*, duarumque sacrarum *Arabiæ* civitatum, principe renuntiato.

Mohammedes gubernator *Chorosanæ* vir erat, & studio humanitatis, & reliquis dotibus, principe dignis, præcellens; ast simul vino, musicæque plus, quam deceret, deditus; præfecit regni sui tempore *Tabaristanæ Suleimanum*, filium *Abdullahi*, patruum alterum.

H. 251. incep. 1. Febr. A. C. 865.

Anno ducentesimo quinquagesimo primo *Hasanus*, filius *Zeidi*, *Alida*, vir inter suos in *Tabaristana* præcipuus, captis armis, plurimas *Ghilani*, & *Deilemi* urbes in potestatem redegit, atque *Suleimanus*, filius *Abdullahi*, pugna ab eodem devictus, *Rejam* primum, tum *Bagdadum* se recipere cogebatur; ubi a Chalifa *Mostæino* dux exercitus creatus, ab hujus etiam successore *Modtazo* singulari honore affectus est; hinc superstites sibi dies in otio transigebat *Suleimanus* ad annum ducentesimum quinquagesimum tertium, quo vita functus est.

H. 253. incep. 10. Jan. A. C. 867.

Circa eadem tempora, quibus *Mohammedes* filius *Taberi*, *Chorosanam* regebat, *Jacub*, filius *Leisy*, expugnata, qua late patet, *Sistaniæ* provincia, atque pluribus subactis *Chorosanæ* oppidis, exercitum recta urbem *Herat* versus duxit, deturbatoque inde *Mohammedis*, filii *Taberi* prætore, urbem ipsam *Kuseng*, præcipuam gubernatoris sedem, petens, suæ eandem ditionis fecit; quo facto, *Mohammedem*, filium *Taberi*, *Nischaburum* concessisse, nonnulli asserunt.

H. 257. incep. 28. Nov. A. C. 870.

Anno ducentesimo quinquagesimo septimo *Hasan* quoque, filius *Zeidi*, *Alida*, *Giorgiam* armata sibi manu vendicavit; *Mohammedes* igitur, filius *Taberi*, dum hæc sibi referrentur, distributa in suos magna pecunia, adversus

Hasa-

Hasanum exercitum movere jussit. Ast *Hasanus* fuso *Chorosanensi* exercitu, magnaque edita strage, divitem inde prædam referebat.

Quo pacto cum auctoritate *Mohammedis* vires etiam ita in dies singulos imminutum ibant, ut hinc non paucis *Chorosanæ* urbibus *Jacub Leisius*, illinc *Hasanus* integra *Giorgiæ* provincia potiretur. Ipsis illis diebus nobiliorum aliqui, eosque inter *Ahmed*, filius *Fazl*, ejusque frater præcipui, e *Sistania* profugi, in *Mohammedis* fidem, ac clientelam se contulerunt. Quos licet *Jacub Leisius* submissis legatis repeteret, *Mohammedes* tamen petitioni neutiquam annuebat. Unde novæ, & gravissimæ inter utrumque simultates exortæ sunt.

H. 259. incep. 6. Nov. An. C. 872.

Anno ducentesimo quinquagesimo nono, castra adversus *Nischaburum* jamjam movere, *Jacubum*, filium *Leis*, audiens *Ahmed*, filius *Fazl*, principem de his edocturus, ad *Mohammedis* palatium cum fratre properat: negabat aditum palatii custos, principem somno indulgere dictitans; at jam instare quempiam, ajebat *Ahmed*, qui principem de somno excitaturus sit, moxque ad *Abdullahum*, filium *Salihii*, se cum fratre proripit, qui imminente *Jacubo* fuga se itidem subtraxerat, sua *Mohammedi* principi obsequia delaturus. Huic ubi narrasset *Ahmedes*, quæ sibi, fratrique suo paulo ante evenissent, animadvertit ille, *Mohammedem*, filium *Taheri*, nulla omnino tangi cura, suoque ejus principatum jam fini esse proximum. Quare *Mohammedi*, se se ut *Rejam* reciperet, auctor extitit, ipse *Hasani*, filii *Zeidi*, *Alidæ* partes amplexus.

 Nullo

Nullo de *Jacubi Leisii* adventu relicto jam dubio, legatum *Mohammedes* miserat, sciscitatum, quonam *Jacubus* injussu principis credentium contenderet? utque, si quæ a principe credentium præsto essent, literas exhiberet, quo iis obtemperaret.

Jacubus, quæ sibi mandata essent, significans, exemto e vagina gladio, hunc diploma, ait, mihi esse scito. His visis *Nischaburum* ocius legatus repetiit, familiaresque principis, & regni optimates, nonnullis suorum missis, *Jacubo* jurejurando fidem firmavere; ipso denique *Mohammede* in *Jacubi* potestatem delapso, omnis *Taheridarum* dominatus in *Chorosana* finem accepit.

Omnium, hujus familiæ, principum præcipua a probitate, & clementia laus est, eorumque sub imperio culta semper, ac florens *Chorosana* perstitit. Horum nomina poeta quidam sequenti carmine complexus est.

Chorosanæ soboles Mosabi sic regnabat:
Taher, dein Talehah, postea Abdullah.
Iterum Taher alius, demum ille Mohammed,
Qui Jacub Leisio reliquit cum throno thiaram.

Inter alia liberalitatis, & munificentiæ specimina, a *Mohammede*, filio *Taheri*, edita, & hoc est. *Nischaburi* viro, cui *Mahmud Warak* nomen, puella mancipium erat, venusta admodum, & gracilis, & mira totius corporis conformatione insignis, suavibus itidem recitandis carminibus, & barbito quam dexterrime ludendo mirifica: De egregiis hujus puellæ dotibus ubi audiret *Mohammedes*, filius *Taheri*,

ri, mirum quantum ad amorem ejus excitabatur. Ut igitur amplexu ejus, quem maxime expetebat, quantocius frueretur, viros iterum iterumque ad *Mahmudum* mittit, qui puellam maximo quoque pretio sibi adsererent; verum, cum *Mahmudus* ipse puellæ amore captus esset, negabat, tam dilectam a se citharædam vendi posse. Non multo abhinc tempore, cum, re familiari omni pro puellæ amore profusa, miserrima utrique vita agenda esset, misit denique ipse *Mahmudus* aliquem, puellam qui offerret principi. *Mohammedes* hoc nuntio admodum recreatus, mox, drachmarum argenti millia quadraginta *Mahmudo* pro puella numeraturus accessit hominem. *Mahmudus* de sede se se proripiens, simulque puellæ gynecæum adiens, surge, inquit, teque, compositis vestibus, itineri accinge, palatium principis subitura, cui te mancipium vendidi. Perculsa nuntio isto puella, in clamorem, & amarum adeo erupit fletum, ut is ad ipsas etiam principis aures perveniret. *Mahmudus* vero, quæ, ajebat, tanta tibi modo mœroris caussa esse potest? quin hilarem potius te esse convenit; simul enim, ac principis palatium subitura es, curarum libera, dies quam jucundissimos ages; mea contra sors est, ut reliquam vitam, a te avulsus, insuavem, ac mœrore plenam exigam. Hæc audiens puella, o here! inquit, a te divelli jam omnium mihi malorum maximum est. Cui rursus *Mahmudus:* o dilecta! nil opum mihi præter te hoc in orbe jam est reliqui, ita, ut te miseram deinceps, & inopem esse, necesse sit; hæc animo volutans, id egi denique, ut vitam, quæ superstes fuerit, placidam, curarumque expertem conficere tibi liceat. Desine me vendere, excipiebat puella, certum

enim

enim , fixumque eſt mihi, cum tam tenero nos complectamur amore, iis, quæ ad victum neceſſaria ſunt, curandis omnem vitam impendere. Si ita eſt, ſubjicit *Mahmudus*, liberam te a ſervitute pronuntio, utque uxor mea ſis, drachmas novemdecim cum dimidia tibi dotis nomine aſſigno. Princeps auditis, quæ *Mahmudum* inter, & puellam interceſſerant, eundem ad ſe accerſitum, iis quadraginta drachmarum millibus, quæ puellæ pretium conſtituebant antea, quam liberaliſſime impertivit, ut commodam & deinceps ambo vitam agere poſſent. Ipſo vero ſuæ cupiditati imperans, præclaram nominis ſui famam apud poſteros reliquit.

DYNASTIA SOFFARIDARUM.

De fatis familiæ Leis, quæ apud historicos Soffaridarum nomine celebris est; & primum quidem de gestis Jacubi, usque dum regno potiretur.

Leisso, patri *Jacubi*, fabro ærario in provincia *Sistan*, tres fuere filii, *Jacubus*, *Amru*, & *Ali*, imperio potiti omnes; quod tamen cum *Ali* filio rursus desiit.

Jacubus, natu major, ærariam similiter artem primum exercuit, omnibus, quæ in lucro erant, puerorum victui impensis; idem mox, pubertate transacta, ætatem maturiorem adsecutus, lecto, qui a nutu suo penderet, milite, vias infestare cœpit, id agens potissimum, ut necessaria ad belli ducis partes sustendandas compararet; quare humanitate quadam in hoc vivendi genere, & moderatione usus, non nisi partem transeuntium mercium sibi vendicabat.

H. 237. incep. 4. Jul. A C. 851.

Anno ducentesimo trigesimo septimo, cum *Chorosanæ*, subjectisque huic provinciis jura daret *Taherus*, filius *Abdullahi*, vir, claro genere prognatus, *Salihius*, omnem, qua patet, *Sistaniam* sibi armis subjecerat; cujus expeditionis *Jacubus Leisius* particeps extitit. Verum is a *Taheri* exercitu, eas in partes transmisso, ejectus, *Derhemum*, filium *Nasirii* successorem nactus est, coeptas motiones tam impigro, & continenti labore urgentem, ut eundem *Taberi* exercitum ex

provincia pedem denuo referre cogeret. Aſt vero *Salihius*, certis legum vinculis reſtringendo militi impar, *Leiſium* imperatorem exercitus deſignavit, quo factum eſt, ut milites, perſpecta animi imbecillitate, & impotentia ſui principis, omnes novo ſeſe duci devoverent, ipſo adeo *Dirhemo* omnis rei gerendæ provinciam eidem delegante.

Chronicon, vulgo *abſolutum chronicorum opus* inſcriptum, a *Choroſanæ* principe *Derhemum* fraude circumventum, victumque fuiſſe, refert; quem, captum, *Bagdadum* miſerit; ubi carcere primum detentus, dein vero libertate donatus, totum ſe Chaliſæ obſequiis devoverit. *Jacubus* interea, dum *Derhemus* abeſſet, ad altiores illinc dignitatis gradus a ſuis evectus, ſuppreſſis ibidem hæreticorum motibus, tantam ſuorum fiduciam promeritus eſt, nihil ut huic addi poſſe videretur. Subjecta imperio ſuo *Siſtaniæ* provincia, *Choroſanam* verſus militem duxerat, ſed ſpe eo anno fruſtratus, patrias oras relegebat, commodius impetendæ denuo *Choroſanæ* tempus operiens.

H. 253. incep. 10. Jan. A. C. 867.

Anno itaque ducenteſimo quinquageſimo tertio, ut ſupra innuimus, *Choroſanam* rurſus cum exercitu ſuo *Jacubus*, adortus *Heratam*, & *Fuſengiam* urbes ſuam in poteſtatem redegit, iter in *Kermaniam* perſecutus, unde præfectum principis *Schirazanæ* provinciæ, earum nempe partium gubernatorem, captivum ſecum abduxerat; directo exin *Schirazum* verſus itinere, ubi, inito rurſus cum præfecto provinciæ *Farſiæ* proelio, captoque duce, res ipſi ex ſententia ſucceſſit. His peractis, falcones, decem numero, albos, & totidem variegati coloris, centumque muſci minas cum ſelectiſſimis aliis diverſi generis muneribus *Bagdadum* mittens,

ſuam

ſuam Chaliſæ declaravit obedientiam, ductoque ſecum *Chorosanæ* provinciæ gubernatore, *Siſtaniam* repetiit.

Anno ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo iterata in provinciam *Farſiam* incurſione *Jacubi*, offenſus *Mutamid*, Chalifa *Bagdadenſis*, viros miſerat, qui ex *Jacubo* quærerent, quid ſit, quod in provinciam *Farſiæ*, nullo pacto ſibi conceſſam, exercitum rurſus educeret? quare *Muwafik billah*, frater Chaliſæ, ſummique conſilii vir, penes quem omnis rei gerendæ poteſtas erat, legatum miſit, qui voluntatem principis hiſce verbis exponeret: *Balcham* præter, *Tabariſtanam*, & *Siſtaniam* ipſi conceſſam eſſe; e re itaque quam maxime fore, in eas ut provincias concedat. Pedem hinc *Jacubus* e provincia quantocius referens, maturato itinere, *Balcham* repetiit, inde, coactis magnis copiis, *Kabulum* contendit, quam vi expugnavit, ipſo regni principe capto. Exinde *Heratam*, accelerato itinere, petens, & hanc ſuæ poteſtati ſubjecit. Atque ab hac denique urbe *Niſchaburum* ſe convertens, *Mohammedem*, filium *Taheri*, data tamen vitæ venia, cum binis, & centum aliis, huic ſanguine junctis, captivos in *Siſtaniam* miſit, relicto in *Chorosana* homine, qui vicario eandem nomine gubernaret.

H. 257. incep. 28. Nov. A. C. 870.

Rebus hunc in modum confectis, *Tabariſtanam* ingreditur, *Haſanum*, filium *Zeidi*, *Alidam*, bello petiturus; cujus expeditionis hæc cauſſa fuit. *Abdullahus Sengeri* a *Jacubo* fuga ſe ſe ſubducens, ad *Mohammedem* primo, *Taheri* filium, *Niſchaburum* confugiebat, tum, de adventu *Jacubi* certior redditus, inde rurſus diſcedens, *Haſani*, filii *Zeidi*, partes ſequebatur, ut ſupra jam meminimus. Hunc igitur tradi ſibi per legatos ab *Haſano* petiit *Jacubus*. Sed

 accep-

accepta repulſa offenſus, totum ſecum exercitum adduxit. Jamque, *Saram* perveniens, ad prælium expeditum hoſtilem offendit exercitum; quo nihilo minus fuſo, ægre *Haſanus* in provinciam *Dilem* fuga elapſus eſt. *Sara* interea temporis, *Amelam* movit *Jacubus*, ubi anni integri tributum ab incolis exegit. *Dilemum* inde conceſſurus erat, quo denuo vindictam de *Haſano* ſumeret; ſed enim continuis in itinere quadraginta dierum, noctiumque imbribus infeſtatus, quadraginta militum ſuorum millia amiſit. Rebus ita infeſtis, oratorem miſit, qui Chalifæ iſta nuntiaret: expugnata *Tabariſtana*, devictoque *Haſano*, filio *Zeidi*, in ſpem inducor, fore, ut benigno me animo princeps credentium excipiat. Aſt Chalifa in *Chorofanam*, *Rajam*, & *Tabariſtanam* ad optimates mandata miſerat, ſignificans: *Jacubo*, cum ipſi antehac *Siſtaniæ* provinciam conceſſerit, is vero refractarium, atque rebellem ſe publice exhibeat, in precibus omnimode imprecandum eſſe. Anſam autem huic edicto illud præbuit, quod nimirum ægre tulerit Chalifa, familiam *Taheridarum* captivam a *Jacubo* in *Siſtaniam* abſtractam eſſe.

Jacubus, filius Leiſii, expugnat Farſiæ provinciam, atque acre cum Menſikio, Chalifæ fratre, prælium init.

Dum *Mohammedes*, filius *Waſil Temimi*, provinciæ *Farſiæ* præfectus, ſupremum ejuſdem dominium ſibi arrogaret,

Muſa,

Musa, filius *Buga*, cui Chalifæ voluntate *Bassoræ*, *Ahwazi*, *Jemame*, & *Farsiæ*, gubernium commissum fuerat, *Abdürrahmanum*, filium *Meslahi*, ad debellandum *Wasili* filium ablegavit. Utprimum vero *Mohammedes*, commoratus *Ehwazi*, exercitum *Bagdadensem* adventare intellexerat, obviam confestim prodiit; atque, concurrente in itinere utroque exercitu, accerrima exorta est pugna, ex qua *Mohammedes*, filius *Wasili*, victor rediit, *Abdürrahmano*, filio *Meslahi* sinistra sorte capto, & mancipato. Hæc audiens Chalifa, *Mohammedi*, filio *Wasili*, renuntiat, *Abdürrahmanum*, filium *Meslahi*, liberum remittat; sed is principis voluntati neutiquam morem gessit.

Hoc ubi nuntium ad aures *Jacubi*, filii *Leisii*, pervenit, ille desiderio provinciæ *Farsiæ* subjugandæ incensus, eas in plagas movit; jamque, acceleratis ubique itineribus, provinciæ territoria subiit, cum ipsum inter, & *Mohammedem*, filium *Wasili*, ingens prælium initum est, in quo victoria penes *Jacubum* erat, vitam cum morte commutante *Mohammede*. Hinc supremus provinciæ *Farsiæ* effectus dominus, signum majestatis suæ ad supremum felicitatis apicem evexit. Ubi summam itaque in hoc regno potestatem adeptus, *Bagdadum* iter *Jacubus* instituit; Chalifa, reditum persuasurus, diploma obviam misit, quo ipsi *Chorosanæ*, *Tabaristanæ*, & *Farsiæ* provinciarum gubernacula deferebantur. At enim, Chalifæ legato adveniente, *Jacubus* neutiquam his literis se contentum, quin *Bagdadum* iter sibi instituendum esse, affirmavit. *Motamidus* Chalifa hoc nuntio accepto, *Mewfikium* cum instructo exercitu *Jacubo* obviam misit, qui post inutilem conflictum dolis militaribus,

 machina-

machinationibusque, quarum mentio in annalibus passim occurrit, *Jacubum Leisium* vicit. Ast hic, collecto novo, jamque magis numeroso exercitu, *Bagdadum* denuo ire contendens, in itinere repente in morbum colicum incidit, atque urgentibus medicis nullo pacto consensit, ut clysterio corpori subveniret, mortem eidem præferens.

Ejusdem hujus infirmitatis tempore accidit, ut cum Chalifæ legati adventantes, reconciliationis literas, & diploma, quo hic in *Farsiæ* regimine confirmabatur, adferrent, *Jacubus* ense, buccella sicci panis, & cepa ante se positis, legatos, accedere jussos, sic compellarit: Chalifæ ex me salutem, dicite, hæcque *Jacubi* esse verba nuntiate: ægrotus ego nunc decumbo: quod si e vivis excedam, te, manibus meis ereptum, scito; sin longior concessa mihi fuerit vita, me inter, & te hic ensis esto, quo feriam, dum vincam, meoque desiderio satisfaciam. Si tu superior discesseris, ego hoc pane, & cepa vitam transigam, omni imperio abdicato. Discessere legati, neque dum regiam Chalifæ sedem ingressi, cum *Jacubus* mortem oppeteret.

Princeps hic perspicacissimi erat ingenii, solertissimus justitiæ, ac liberalitatis cultor. Quod si officii alicujus obtinendi gratia eum quis accederet, isque ipsi probaretur, ex eo primum, cujus conditionis esset, quærebat, num equum conscendere, sagittam jaculari, gladiove uti sciret, tum cui inserviisset antehac, aut quo in certamine fortitudinis suæ dedisset specimen? postremo demum imperabat, ut, quæcunque seu ad victum, seu vestitum, vel reliqua per annum integrum necessaria essent, homini traderentur. Sin ante anni decursum vir iste denuo quid peteret, illico & ea, quæ

pri-

prius ipsi tradita essent, repeti jusserat. Exercitus equi, paucis exceptis, proprii ipsius omnes fuere. Pabulum pariter quadrupedum suis ipse sumptibus suppeditabat.

Præterea ligneum suggestum confici curavit, cui insidens, omnem late exercitum oculis perlustrare potuit, &, si quid eorum, quæ ad exercitum pertinent, minus ipsi probabatur, confestim mutari jussit. Mille porro delecti ipsi erant prætoriani, quorum cuique fustem, auro conflatum, & mille *miskal* appendentem tribuit; hoc eodem modo alios mille fustes, liquato ex argento confectos, mille itidem prætorianæ cohortis viris divisit, quos hi in itinere humeris imponebant. Arcanorum autem consiliorum, neminem compotem fecit, nec cum ullo de regni negotiis tractare solitus. Hoste devicto, nulli militum licebat injussu suo prædam capere. Pone suum tentorium semper alterum extrui curavit, in quo famuli, & mancipia commorabantur, quorum, urgente aliquo negotio, unum, pluresve evocaret, qui jussa facerent. Quotidie in ejus culina oves viginti in quinque ollis coquebantur; primam portionem famuli aulici sibi vendicabant, reliquæ principis familiaribus distribuebantur. Cum legatorum aliquis ipsi quondam dixisset: tu tibi principatum arrogas, & in tentorio tuo præter stratum, cui insides, armaque, quibus accingeris, nihil invenitur! reposuit ille: quidquid princeps sibi peculiare habet, id servi quoque illius assumere consueverunt.

Inter alia, quæ mira de *Jacubo* narrantur, & illud est: referebatur, *Abu Jusuf*, *Jacub*, *Ibn Sofian*, Chalifam *Osmanum*, filium *Ufan*, convitiis petere; præcepit illico princeps, præsentem sibi sisterent *Abu Jusufum*, pœnam de il-

lo

lo ſummere conſtituens. Ejus vero Vezirius: O princeps principum! ajebat, hic vir minime *Osmanum* convitiis inſectatur, ſed ejus verba ſolum negant, *Osmanum* prophetæ familiarem fuiſſe; quibus auditis liberum illum arbire juſſit, ſubjiciens: mihi nil negotii eſt cum familiaribus prophetæ.

Omnes, quibus imperio potitus eſt *Jacubus*, undecim anni fuerunt.

Amru Leis in imperio ſuccedit.

Defuncto *Jacubo Leiſio*, frater ejus *Amru Leis* imperio potitus, legatos ad pedes throni Chalifæ miſit, qui ſuæ illi obedientiæ, fideique teſtimonia exhiberent. Hac ratione obtinuit, ut inaugurationis diploma, quo ipſi imperium in *Chorosan*, *Iraki ægem*, & *Farſia* una cum vicaria *Bagdadi* adminiſtratione concedebatur, ſibi mitteretur.

Amru hoc ſibi collatum beneficium grato accipiens animo, *Abdullahum*, filium *Taheri*, in *Babylonia* vicarium ſibi ſubſtituit; ipſe vero *Kaswinum*, indeque *Rajam* contendit, eo, quod iis in terris *Mohammedes*, filius *Leiſii*, pecuniis publicis præfectus, ab *Amru* eo miſſus, rebellem ſe, ac refractarium exhibuerit. Quare ipſe *Amru* eas in plagas converſus, cum *Mohammede* armis congreſſus eſt. Quo devicto primum *Iſtacharum*, & mox *Schirazum* petiit, atque eo, quo *Shirazi* commoratus eſt, tempore tercenta aureorum millia, quinquaginta minas ambræ, ducentas

mi-

minas ligni aloe, trecenta volumina panni ſericei, acu phrygia intertexti, vaſcula ex auro tracto tercenta, & totidem denique jumenta *Mewfikio*, Chalifæ fratri, a cujus nutu pendebant omnia, muneri dedit.

Anno ducenteſimo ſeptuageſimo primo variæ, graveſque querimoniæ contra *Amrum* a *Chorosanæ* incolis apud Chalifam jactabantur. Quare hic, advocato *Chorosanæ* ſatrapum concilio, ego, ajebat, *Chorosanæ* imperio *Amrum* exuo, vos itaque illi imprecemini, neceſſe eſt. His declaratis, *Zeid*, filius *Muchaled*, comparato magno exercitu, principis juſſu, ad debellandum *Amrum*, ex urbe *Waſet* verſus *Farſiam* contendit. Obviam effuſa utraque acie, atrox prælium commiſſum eſt, in quo flamma mutui conflictus ab ortu diei ad occaſum uſque arſit, & poſtremo denique zephirus victoriæ vexilla Chalifæ perflavit. Centum viri nobiliores in *Amru* exercitu deſiderati ſunt, duce quoque *Derhemo* gravi vulnere ſauciato; ipſeque *Amrus* cum iis, qui a clade ſuperſtites fuere, fuga ſe ſe periculo ſubduxit. *Babylonicus* contra exercitus magna præda potitus eſt. *Amru* interea in provinciam *Farſiam* ſe contulit. Quæ res cum ad aures *Mewfikii* perveniſſet, hic prius, quam *Amru* in *Schiraz* conſidere poſſet, eo movit. Quare videns *Amru*, nullam ſibi reſiſtendi facultatem ſupereſſe, in *Kermaniam* diſceſſit, inde in *Siſtaniam*, ex *Siſtania* vero in *Chorosanam*, ubi iterum ipſi cum *Rafi*, filio *Herzeme*, depugnandum erat, qui ea tempeſtate in religionis negotio novas res molitus eſt; namque in publicis precibus nominis *Mohammedis*, filii *Zeidi*, de gente *Alidarum*, mentionem fieri voluit. Hunc *Amrus* felici pugna ſuperavit, ejus capite *Bagdadum* miſſo.

H. 271. incep. 28. Jun. A.C. 884.

Qua re rursum Chalifæ gratiam iniit, adeo, ut princeps nomen illius omnibus vexillis inseri jusserit.

H. 284. incep. 7. Feb. A. C. 897. Anno ducentesimo octogesimo quarto Chalifa turmam, ex *Chorosan* ad loca sacra peregrinantem ad se se evocavit, præcepitque, ut, cum imperium *Chorosanæ*, *Transoxanæ*, itemque *Farsiæ*, & *Kermaniæ* nomini *Amru Leisii* inscriptum esset, eum iis in terris principem agnoscant.

H. 286. incep. 17. Jan. A. C. 899. Anno demum sexto, & octogesimo supra ducentesimum ab *Amru* ex provincia *Chorosan* submissa, nova munera ad Chalifam pervenere. Hæc inter & idolum aureum erat, cujus quatuor numerabantur manus, & a cujus auribus duæ, gemmis distinctæ, pendebant inaures; id tergo bovis imposuerunt, qui camelum magnitudine æquabat. Hoc itaque simulacrum primum ad palatium *Moatesidi* adportatum, postea versus orientalem *Bagdadi* partem, qua vicarii provinciæ residere consueverant, delatum, post triduum vero thesauro urbis adjunctum est.

Amru Leisius infelix cum Ismaele, filio Ahmedis, Samanida, prælium init, in quo captus, regnandi finem fecit.

Divulgato rumore, provinciæ itidem *Transoxanæ* gubernationem a Chalifa *Amru Leisii* curis concreditam esse, mox hic vicario nomine *Mohammedem*, filium *Beschiri*, e familiaribus unum, quin intimorum suorum unicum, cum exertu adversus *Ismaelem*, *Samanidam*, iis regionibus præfectum,

ctum, misit. Contra *Ismael*, trajecto quantocius *Oxo*, ad prælium paratus, exercitum in aciem explicuit. Utrinque acerrime dimicatum est, quoad *Mohammedes Beschirius* morte occumberet, ejusque copiæ, in fugam actæ, ad principem suum *Amru Leisium* se se reciperent. *Amrus* itaque præsens ad novum ineundum cum *Ismaele* bellum comparabat omnia, invitis licet satrapis, id minime in præsens conducere adserentibus, satius esse, si sufficientes militum copias submitteret. Sed enim in irritum cadebat consilium. *Balcham* interim petente *Amru*, ab *Ismaele* pervenit nuntium, cujus hoc erat argumentum. Deus ter optimus maximus amplum tibi concessit imperium, neque illud ego tibi invideo; hisque circumscriptus limitibus contentus vivo. Quare & a te id mihi sperare liceat, hoc in terrarum angulo, qui certe exiguus est, ne mihi infestus sis.

Amru his minime annuens, viam denuo ab *Indo* fluvio repetiit; *Ismael* pariter, exercitum suum movens, simul cum *Amru*, trajecto flumine, in *Chorosana* consederat, ita, ut ob immensum militum numerum *Amru Leisio* neque progredi, neque regredi licuerit. Haud longo post temporis intervallo, se se oppressas esse, ejus sensere copiæ, atque in hoc ancipiti rerum statu *Amru Leisio* principi persuasum est, silvam versus ut recederet. Quare, jusso ad dextram iter instituere exercitu, ipse in silvam se recepit, ubi equus ipsius, roseto implicitus adhæserat, quo in loco ab iis quoque paucis, qui eum comitabantur, desertus, ab insequente *Ismaelis* equitatu captus est.

In nonnullis historicis perhibetur etiam, *Ismael Samanida* a *Moatesido* Chalifa, nullatenus secundis *Amru*

Leiſii rebus favente, inductus fuiſſe, ut cum decem virorum millibus, de quorum equis ut plurimum ſtapedes lignei pendebant, *Oxum* trajiceret, bellum *Amru Leiſio* illaturus. Hunc quoque cum octoginta paratiſſimorum equitum millibus illi obviam proceſſiſſe, atque, dum uterque ſua extenderet cornua, accidiſſe, ut equus, cui *Amrus* inſidebat, agilis nimium, minusque frœni patiens, in gyrum ſe ſe agitare inciperet, herumque, id minime ſuſpicantem, in medium hoſtium inferret. Hinc *Ismaeli*, nullo profuſo ſanguine, cumulatam obtigiſſe victoriam, toto *Amru Leiſii* exercitu in deditionem accepto. Ipſe vero *Amru* captus, in tentorium quoddam illatus eſt.

Hic, neſcio, quo fato, tranſibat quidam ex iis *Amru* ſervis, qui tentoriis figendis præſunt, hunc ad ſe evocat, petitque, modicum quid ad comedendum ſibi pararet. Servus aliquantum carnis reperiens, eam lebeti æneo, quo potus alias præberi equis aſſolet, imponit, eoque ſuſpenſo, & ſuppoſito igne, ad alia ligna colligenda diſcedit. At enim fortuito accurrens canis, & lebeti caput imponens, os ſibi vehementer aduſſit adeo, ut, retracto confeſtim capite, collo ejus lebes adhæſerit, eoque gravatus auffugerit. Viſo hoc, in magnum *Amru* ſolutus riſum, ab excubitorum aliquo, quæ riſus cauſſa ſit? interrogatur. Reſpondens *Amru*, hoc mane, ajebat, meus dapiferorum magiſter conqueſtus eſt, trecentos camelos rei culinariæ ferendæ non ſufficere, & nunc veſperi ipſis hiſce oculis conſpicio, canem unicum hæc omnia facile aſportare poſſe.

Referunt aliqui, *Ismaelem*, ubi *Amru Leiſius* captivus in conſpectum ipſius adductus erat, oſculum huic in faciem

ciem fixiſſe, cum hoc dicto: tu mihi ſumme venerabilis frater es, veſteque pretioſa eum induiſſe, atque jurejurando affirmaſſe, nullo pacto ſe malum illi infligere velle. Eum denique, cum *Oxum* verſus iter relegeret, ſecum duxiſſe.

Capto *Amru Leiſio* oratorem *Iſmael* ad Chaliſam ablegarat, quæ accidiſſent, nuntiaturus. Hæc inaudiens Chaliſa *Moateſidus*, bene *Iſmaeli* precatus, maledicta in *Amrum* conjecit. Haud longo poſt tempore legatos & ipſe ad *Iſmaelem* miſit, qui *Amrum* ſibi tradi depoſcerent. *Iſmael* contra ex ſuis deligebat quosdam, qui *Amrum* Chaliſæ adducerent. Dum in vicinas *Babyloniæ* partes veniſſent, camelum conſcendere juſſum, *Amrum* in urbem introducunt. Chaliſa captivum conſpiciens, in has erupit voces: Deo ſint laudes, quod te in manus meas adduxerit, tuisque meritis mercedem dignam tribuerit. Quo dicto cuſtodiri eundem juſſerat.

De obitu viri hujus varia narrantur. Referunt nonnulli, Chaliſam jam morti proximum, carcerum præfecto, ut occideretur, in mandatis dediſſe. Dicunt alii, *Amrum*, cum morbo infeſtaretur Chaliſa, e memoria omnium elapſum fuiſſe, adeo, ut fame perierit. Sunt, qui narrent, luctantem cum morte, Chaliſam ad ſe evocaſſe præfectum carcerum, ſignumque illi dediſſe, ut *Amrum* de medio tolleret; hunc vero, ubi & ipſum Chaliſam brevi vita functurum viderat, ſanguine ejus ſibi manus polluere renuiſſe. Succedenti in Chaliſatu *Mukteſio*, interrogantique, quid *Amrus* ageret, reſponſum, eum adhucdum in vivis eſſe. Hoc mirum quantum lætatus propterea, quod multis antehac *Amri* beneficiis, & favoribus auctus fuiſſet, miſericordiam illi adhibere, & beneficia

reddere constituit. *Kasimus* autem, Chalifæ Vezirius, videns, *Muktesium* favoribus cumulare *Amrum* velle, pro sua, qua jam antea in hunc ferebatur, inimicitia homines ad carcerem dimittit, qui illum interficerent, atque hæc *Muktesio* renuntiarent: opinabamur equidem, adhucdum *Amrum* in vivis esse, verum, rem propius perquirentes, contrarium reperimus. Demum annis tribus, & viginti regnasse dicitur.

In chronico itidem, *Fabrica mundi* inscripto, refertur, in monumentis, ab *Amru* relictis, & vetustum illud, quod *Schirazi* extat, fanum numerandum esse. Dicitur porro, præter alia id moris habuisse *Amru*, impuberes ut servos coemeret, eosque, ubi, data opportuna educatione, maturiores extiterant, regni sui optimatibus dono offeret. Hæc vero mancipia singulari favore prosequebatur, id quod efficit, ut sibi clanculum referrent omnia, quæ ab heris fieri contingeret. Optimates hujus technæ inscii, in eam opinionem devenere, principi turbam geniorum familiarem esse, quidquid occulto fieret, ipsi renuntiantem. Eaque de caussa sibi in suo vivendi genere cavebant.

Amrus uno tantum oculo præditus, admodum violentus, & sanguinis appetens erat. Pecuniæ exactorem in provincia *Farsiæ* habuerat, *Abul Husein* nomine; hunc aliquando, indignatione commotus, omnia sua divendere, sibique collectam inde pecuniam tradere jussit. Hæc quidem jussa cum feliciter executus fuisset, *Amrus* rursum illi in mandatis dedit, centum drachmarum millia intra triduum adferret, adserens: si hæc præstiterit, bene ipsi fore, sin minus, morte pœnam ipsi luendam esse. *Abul Huseinus* itaque hominem fidum ad *Abu Zeidum*, scribam principis, ablegat;

rogan-

rogantem, vadimonium pro se sisteret, quo ipse libere interea carcere excedens, data opera, petitam a se summam cogere posset. *Abu Zeidus* sponsionem equidem in se suscepit, verum *Abu Huseinus*, carcere interim liberatus, quantumcunque etiam adlaboraret, præscriptam summam nequaquam conficere poterat. Post triduum igitur, ad *Abu Zeidum*, redux tristem conditionis suæ statum exposuit, subjiciens: veni, ut me rursus custodibus tradas; tuque sponsione tua libereris. Unde is *Abu Huseinum* iterum carceri mancipavit. Rarum dein eventum edoctus princeps, in hæc verba erupit: incertus hæreo, num spondentem *Abu Zeidum* scribam, an reducem *Abu Huseinum* admirer magis. Data itaque culpæ venia hunc princeps liberum dimisit.

Narratur item, *Amrus* præcepisse, ut vacui ex corio sacci, camelis impositi, per tempus aliquod secum una deferrentur, conscio nemine, quid huic rei mysterii inesset. Dum ecce inopinate a præfixa via ad extirpandas quasdam rebellium turmas deflecteret, in via fluvius obstitit, qui trajici nequierat; hos itaque vacuos ex corio saccos lapidibus repleri, & in fluvium ea copia demitti princeps jusserat, ut aquam æquarent; reliquis deinde, congesta undique terra repletis, viam sibi per fluvium stravit ipse, ut ita cum exercitu libere transierit.

Illud quoque referunt, ex omnibus optimatibus, & familiaribus neminem tantum apud *Amrum* valuisse gratia, quantum *Mohammedem*, filium *Beschiri*. Huic die quapiam, quæ perpetrasset, plurima crimina exprobans, eadem ordine recensere cœperat; tum *Mohammedes* interpellans principem, gravissimo jurejurando interposito, per Deum

fidium

fidium! ajebat, nil auri mihi præter quinquaginta *Bedre* in loculis eſt, quam etiam ſummam theſauro tuo traditurus ſum; non opus eſt, ut ob crimina, non commiſſa, me reprehendas. Ad hæc *Amrus*; negari certe nequit, perſpicaci te ingenio eſſe præditum. Prædicta igitur ſumma a *Mohammede* gazæ principis tradita *Amrus* eo contentus fuit.

Juſſerat *Amrus* quodam tempore exercitum ſuum ſe coram conſiſtere, arma, & equos luſtraturus. Singulos itaque in campo vaſto equites tranſeuntes conſpiciens, quænam arma meliora, qui equi melius nutriti eſſent, perquirebat. Tum ecce in virum incidens, equo, macie deformato, inſidentem, an non, inquiebat, jure merito mirantur homines, ab equitibus, dum ſuas uxores ſaginant, equos negligi. Vir, hiſce verbis auditis principis, confeſtim de equo deſiliens, atque ad pedes principis provolutus, o princeps! ait, mea uxor decies etiam hoc equo macilentior eſt, & ſi hoc credis, etiam illud te ſcire, neceſſe duxi. Hoc ſermone delectatus princeps, rem hujus domeſticam largis muneribus auxit.

Taherus, filius Mohammedis, filius Amru Leiſii regnum capeſſit.

Amru Leiſio irrevocabili fato in captivitatem delapſo, optimates, nobilioresque *Siſtaniæ* viri *Taherum* ad thronum evexere; hic, collecta magna militum copia, provinciam

ciam *Farsiæ* ingressus, expulsoque inde eo, qui ad exigendas publicas pecunias a Chalifa constitutus erat, *Ahwasium* se convertit. Chalifa vero, misso cum muneribus *Abdullaho*, filio *Fetehii*, apud *Ismalem* institir, ut exercitum *Taheri* ab his novis motibus prohiberet. Is itaque in hanc sententiam *Tahero* scribit: *Sistaniam* tibi, ea tamen conditione, tradit Chalifa, nulla ut interposita mora eo revertaris. Et *Taherus*, lecta *Ismaelis* epistola, illico etiam *Sistaniam* repetere constituit.

Chronicum, *Series rerum* nuncupatum, rem ita narrat: *Taherum*, nempe muneribus demulsisse *Ismaelis* animum, ab eoque petiisse, ut sibi emphiteusis titulo quarundam, quas progenitores ipsius antea possedissenr, provinciarum usum a Chalifa obtineret. *Ismael*, muneribus grato animo acceptis, oratorem ad Chalifam concedere jubet, qui, quæ *Tahero* in votis essent, quæque sibi largitus fuisset munera, exponeret. Motus *Ismaelis*, *Samanidæ*, precibus Chalifa, si præfectorum singuli, reposuit, qui in subjectis potestati nostræ præfecturis centum, & unus existunt numero, tantundem, ac *Taherus*, darent, se omni certe ex parte contentum fore. Diploma itaque concessionis cum inaugurationis insignibus Chalifa *Tahero* submiserat, qui e *Sistania* post hæc *Schirazum* condendebat.

Luna, *Rebbiulewel* dicta, anni ducentesimi nonagesimi tertii *Abu Kabusius*, qui ex *Taheri* optimatibus unus, cum pluribus aliis *Bagdadum* advenerat, cujus hæc ratio erat: *Taherus* compotationi, musicæ, & venationi unice deditus, in *Sistaniam* concedebat; *Leisius* vero, filius *Ali*, filii *Leisi*, *Soffaridæ*, & *Segberi*, libertus *Amru Leisi*,

H. 293. incep. 1. Nov. A. C. 905.

inıerea temporis *Schirazum* pervenientes, varias cum *Kabuſo* contentiones habuere, ita, ut hic, offenſus animo, ad aulam Chaliſæ tranſierit, omni una cum ſuis honorum genere a Chaliſa affectus. *Taherus* contra per literas Chaliſæ ſignificabat, *Abu Kabuſum* ex reditibus annuis ſubripuiſſe quidquam, ſibi igitur aut virum, aut ablatas pecunias reſtitueret. Sed enim iſtis neque quidquam reſpondit, neque fidem adhibuit Chaliſa.

H. 296. incep. 29. Sept. A. C. 908.

Anno ducenteſimo nonageſimo ſexto *Taherum* inter, & *Segherum*, libertum *Amri*, exortæ lites bello tandem compoſitæ ſunt, in quo *Taherus* ſuccubuit, captivus cum fratre *Jacubo* a *Seghero* ad Chaliſam *Bagdadum* transmiſſus, qua ratione ipſius imperium deſiit.

In chronico, *Fabrica mundi* dicto, memoratur, tempus regni *Taheri* ſex annorum nonniſi ſpatio definitum fuiſſe, captoque *Tahero*, filio *Mohammedis*, filii *Amru Leiſii*, *Soffaridæ*, alium quempiam, nomine *Leiſium* filium *Ali*, filii *Leiſii*, ſimul cum fratre *Maadil* per dies aliquot potentiam quampiam, & regni faſtum oſtentaſſe; aſt captos pariter, cum *Saffaridarum* imperium ad præfixum perveniſſet terminum, *Bagdadum* transmiſſos fuiſſe.

Amru, filius Jacubi, filii Mohammedis, filii Amru, filii Leis, ad imperium evehitur, atque cum Ahmede, filio Ismaelis, in Siſtania arma confert.

H. 300. incep. 17. Aug. A. C. 912.

Anno tercenteſimo *Siſtaniæ* provinciæ incolæ ab imperio *Ahmedis*, filii *Ismaelis*, deſecere, cujus hæc erat cauſſa: *Moham-*

Mohammedes, filius *Hermuzi*, e *Siſtania* oriundus, atque e ſecta ſchismaticorum, qui *Charigi* compellantur, multos ſibi aſſeclas comparans, refractarium ſe ſe gerere cœperat; die quapiam ad *Abu Huſeinum Ali*, filium *Mohammedis*, filii *Arizii* acceſſit, negotium ſpeciale ſibi deferri poſtulans. Verum *Huſeinus*: jam laſſa, reponebat, te obruit ſenectus, magisque tibi, angulum quempiam ingreſſo, competit, ut reliquos vitæ dies in oratione tranſigas. His verbis commotus *Mohammedes*, filius *Hermuzi*, mox iter in *Siſtaniam* ingreditur, hac ſuper re cum reliquis ſectæ hujus aſſeclis conſulturus; atque id agebat potiſſimum, ut, *Manſuro*, filio *Isbaki*, *Samanida*, ex urbe ejecto, rurſus, e familia *Soffaridarum* unum, ſibi principem deligerent, quibus alioqui *Siſtaniæ* imperium ex æquo competeret.

Conſentientibus uno animo ſectæ hujus aſſeclis, in *Amru*, filii *Jacubi*, clientelam primus omnium ſe confert *Mohammedes*, filius *Hermuzi*; ſimulque *Mohammedem*, filium *Abbaſii*, quem *Ebni Chafar* dixerunt, ſectæ ſuæ principem, novo principi aſſiduum comitem addidere.

Amru itaque, ad regnum evectus, *Manſurum*, filium *Isbaki*, *Samanidam*, catenis vinctum arce concludi juſſit; jamque per totam *Nimruz* regionem, filii *Jacubi* in precibus publicis mentio facta eſt.

Ahmedes, filius *Ismaelis*, allato hac de re nuntio, *Huſeinum*, filium *Ali*, deſignavit, qui ad hos motus compeſcendos illuc ſe cum exercitu conferret; is, ad hæc comparatus, in *Siſtaniam* etiam perveniebat, urbem per novem menſes arcta obſidione premens. Fatis hæc inter concedente *Mohammede*, filio *Hermuzi*, *Amrus*, filius *Jacubi*, at-

que *Ebni Chafar*, cœpto inſiſtendo impares, data ſecuritate, ſe ſe dedidere, unde & *Manſurus*, filius *Isbaki*, carcere liberatus eſt.

Huſeinus, filius *Ali*, præ reliquis *Ebni Chafaro* veniam fecerat, ſe ſe comitandi, dato etiam cubiculariis mandato, ut, quocunque tempore *Ebni Chafarus* ad ſe accedere cuperet, ne impedirent; verum, quoniam *Ebni Chafar* de medio *Huſeinum* tollere ſatagebat, idque huic innotuerat, *Ebni Chafarum* in cuſtodiam dari juſſit.

De expugnata denuo *Siſtania* certior redditus *Ahmedes*, filius *Ismaelis*, gubernatore ejus *Simchordewao*, denominato, *Huſeinum* ad ſe evocat, qui cum *Amru*, filio *Jacubi*, *Ebni Chafarum* ſecum *Bucharam* duxerat. Hac ratione regnum *Nimruz* in numerum provinciarum, quæ a *Diwano Samanidarum* pendebant, iterum adſertum, illo in ſtatu uſque eo permanſit, dum *Chalefus*, filius *Ahmedis*, principatum ſibi arrogans, ſuo demum nomine preces publicas in *Siſtania* fieri curaret.

Chalefus, filius Ahmedis, in Siſtania rurſus ad principatum pervenit.

Hiſtoriographi nonnulli aſſerunt, *Chalefum*, *Jacubi Leiſii* filii nepotem fuiſſe; *Ebni Eſir* celebris alias hiſtoricus contendit, matrem *Chaleſi* auguſtam principis *Omari*, filii *Leiſii*, fuiſſe filiam; *Ahmedes* itaque pater *Chaleſi*, ſecundum hanc

opi-

opinionem neceſſario *Jacubi* filius extitiſſet, nullo contra hiſtoricorum admittente, *Jacubum* habuiſſe filios. In libro, *Mirabilia Hamadanenſia* inſcripto, narratur, in *hiſtoria gentium* eundem hunc *Chaleſum* duobus ſimul regibus, *Jacubo* nimirum, & *Amru* conſanguinitatis neceſſitudine conjunctum fuiſſe.

Quidquid ſit, *Chaleſus*, filius *Ahmedis*, celebratur ob ſingulares animi dotes, excellentem ſcientiam, benignitatem, ſuumque erga doctos amorem, ſingularem denique adverſus viros probos reverentiam. Poetæ varia in laudem ipſius edidere poemata. *Abulfethius*, ex urbe *Boſt* oriundus, memorat, ſe in laudem *Chaleſi* tria concinnaſſe diſticha, neque id in animo habuiſſe, ut in notitiam principis devenirent; ſed hæc omnis fere populi ore recitata fuiſſe adeo, ut ad auguſtas principis aures penetraverint. Hunc itaque in benigni animi conteſtationem ſibi tercentos denarios ſubmiſiſſe.

Anno tercenteſimo quinquageſimo tertio *Chaleſus*, filius *Ahmedis*, peregrinationem ſacram peragens, *Taherum*, filium *Huſeini*, ſibi ſanguine junctum, vicario ſui nomine gubernatorem *Siſtaniæ* conſtituit, qui vero, deguſtatum imperium ſibi perquam gratum accidere, ſentiens, *Chaleſo*, redeunti *Mecca*, ingreſſum in provinciam ſuam negavit. Hic itaque *Bucharam* ſe convertens, *Manſuri*, filii *Nuhi*, opem implorabat, qui præcepit etiam, ut *Chaleſum* validus exercitus in *Siſtaniam* comitaretur. *Taherus*, exercitui *Bucharenſi* reſiſtendo impar, in *Esferain* interea temporis ſe ſe recepit; *Chaleſus* autem, ubi rurſus regno *Nimruz* ſe reſtitutum cernebat, *Manſuri* exercitum dimiſit.

H. 353. incep. 18. Jan. A. C. 964.

 Aſt

Aſt *Taberus*, accepto nuntio, exercitum *Bucharenſem* in patriam rediiſſe, *Siſtaniam* armis iterum invadit, *Chaleſo* & ſecunda vice ad *Manſurum* ſe recipiente. *Manſurus*, qui, quidquid magni, generoſique animi eſt, hic loci exhibere, non dubitavit, hac altera quoque vice *Chaleſum*, rebus omnibus, quæ principi competunt, inſtructum, ad propriam ſuam ſedem deduci juſſit. Sed enim antequam *Chaleſus* attingeret *Siſtaniam*, vita functus eſt *Taberus*, ſibi filium *Huſeinum* ſubſtituens.

Chaleſus igitur voti compos redditus, acri *Huſeinum* in urbe, in quam ſe recepit, obſidione preſſerat, magna utrinque per aſſiduos conflictus, quoad obſidio durabat, hominum copia intereunte. Tum *Huſeinus*, ad extremas anguſtias adactus, viros *Bucharam* ablegat, omni meliore ratione ſuo nomine vitæ veniam a *Manſuro* precaturos. Is igitur literas exaravit, queis ipſi gratiam impertiebatur, ſubjiciens: tuto civitate excederet, quin nemo ipſi, aut ſuis incommodum adferat, omnes demum *Bucharam* adducerentur. Literis hiſce ad manus *Huſeini* conſignatis, ipſe, nulla interpoſita mora, cum ſuis *Bucharam* contendit, in principis etiam tutelam ibi receptus.

Elapſo nonnullo jam temporis ſpatio, ex quo *Chaleſus* imperium recuperabat, ob ſummam perſolvendam, quam *Bagdadum* annis ſingulis miſſurum ſe ſe obſtrinxerat, cauſſas prætexere cœpit; id quod *Manſuri* animum ad indignationem commovit, adeo, ut extemplo *Huſeinum*, filium *Taberi*, ad debellandum *Chaleſum* cum inſtructo exercitu dimiſerit. Verum *Huſeino* cum milite *Siſtaniam* ingreſſo, *Chaleſus* in arcem *Direk*, munimentorum omnium validiſ-

ſimum,

ſimum, ſe receperat, quam ſeptem omnino annos obſeſſam *Huſeinus* tenuit, quin efficere quidquam potuerit. Huic igitur *Manſurus*, qui negotium iſthoc ad finem perduceret, *Abu Alium*, *Semgiurium*, ſubſtituit, *Chorosſanæ* jam ante *Huſeinum* præfectum, quem inter, & *Chaleſum* antea amicitia interceſſit; *Abu Alius* itaque, ubi prope ad arcem venerat, clam fidos ad *Chaleſum* nuntios ablegat, qui renuntiarent, neceſſe fore, ex hac arce in aliam ut ſe recipiat, hac enim ratione & ſibi redeundi in patriam copiam fieri, &, ubi diſceſſerit, ſe quam optime noſſe, quid denuo faciendum ſuperſit. *Chaleſus* petitioni *Abu Alii* annuens, ex arce *Direk* in aliam, *Tarik* nomine, tranſiit; *Abu Alius* igitur, arcem *Direk* ingreſſus, eam ſe occupaſſe, oſtentabat.

Eo porro tempore in ipſa *Samanidarum* familia jam perturbationes ſubortæ ſunt: unde factum, ut hinc minus religioſe ea, quæ cujusque officii fuerunt, perficerent, illinc vero finitimi principes, regionibus alioqui *Samanidarum* imperio ſubditis, inhiarent.

Quæ inter Chaleſum, filium Ahmedis, & Subugteghini ſobolem, Naſſereddinum videlicet, filiumque hujus, Seifeddin Mahmudum geſta fuere.

Naſſereddin Subugteghino quondam ad bellum ſacrum in *Indiæ* partes converſo, urbs *Boſt* ob auguſtam principis abſentiam incuſtodita manebat; hinc *Chaleſus*, filius *Ahmedis*, opportunam hanc ſibi occaſionem ratus, *Boſtam* ingreſſus eſt,

unius

unius anni tributum ab incolis exigens, atque relictis ex exercitu suo in arce custodibus, iter in *Sistaniam* repetebat. Verum simul atque *Nassereddinus* ex *India* reversus est, relictæ in urbe *Bost* a *Chalefo* custodiæ egrediebantur, ob quod facinus temerarium maxima succensus est ira. Quare *Chalefus*, bene gnarus, eum se non esse, qui armis cum *Nassereddino* concurrere posset, exacti ab urbe *Bost* tributi sumam ipsi cum multis muneribus aliis transmisit, facti veniam petens, quam is etiam, deprecationis hujus modo rato habito, ipsi concesserat. Simultates equidem & vice alia ipsum inter, & *Emir Subugteghinum* exortæ sunt, quæ tamen *Abul Fethii*, *Bostiensis*, interventu, & commonitione bona pace discutiebantur.

Chalefus, filius *Ahmedis*, auctus jam viribus, neque minori numorum vi in thesaurum illata, *Kermaniæ* animo inhiarat. Verum, cum ipsum inter, & *Assadeddewlet* firmum amcitiæ vinculum intercederet, ab hoc proposito rursus desistebat. Sed enim, *Assadeddewlet* fatis defuncto, ut *Samsamiddewlet* regni gubernacula *Schirazi* susceperat, filium suum in *Kermaniam* expediit, quo præter spem omnium ibidem comparente, *Timur Taschius*, familiæ *Deilemidarum* nomine provinciæ præfectus, necessitate adactus, ad arcem *Beruhsir* confugit. *Samsamiddewlet* his perceptis, non ignarus, *Timur Taschium* inter, fratremque suum *Behaeddewlet* maximam intercedere amicitiam, *Abu giafarum* cum copiis ablegat, qui *Timur Taschium* catenis oneraret. *Abu Giafarus* itaque, ubi arcem *Beruhsir* attigerat, *Timur Taschium*, dolo captum, *Schirazum* misit, quo facto, ipse ad *Omarum*, filium *Chalefi*, debellandum se accinxit. *Omaro*

&

& ipſo cum ſuis in viam ſe dante, ambo brevi poſt tempore exercitus ſibi obviam facti, prælium iniere, ubi, magna utrinque edita ſtrage, *Abu Giafarus* campo tandem excedere cogebatur. De adverſo rei eventu *Samſamiddewlet* certior redditus, *Abbaſum*, filium *Ahmedis*, delegerat, qui magnam fortiſſimorum militum copiam eo deduceret. Neque ſua ex parte *Amrus* cunctabatur, novo huic duci cum ſuis obviam procedere. Collata itaque in confinibus *Sirgian* fuere arma, verum non eodem rerum ſucceſſu; *Amrus* enim magna affectus clade, & potiſſima nobilium exercitus ſui parte in captivitatem delapſa, & ipſe in *Siſtaniam* ſe ſe recipere cogebatur. Unde pater ipſius tantam indignationem conceperat, ut eum graviſſime reprehenderet; nec ſatis: catenis vinctum in carcerem conjici, quin poſt dies aliquot e medio illum tolli juſſerat. Verum enecati corpus, & ſacra ipſe lotione purgarat, & precibus ſuper illum a ſe fuſis, in mandatis denique dedit, ſua ut in arce ſepeliretur.

Haud longo poſt tempore *Samſamiddewlet*, a *Kermaniæ* præfectura *Abbaſum*, filium *Ahmedis*, amovit, *Uſtad Hermuzum* in hujus locum ſufficiens. Quare *Chaleſus*, filius *Ahmedis*, id unum laborans, ne *Uſtad Hermuzus* ſuis pariter terris inhiaret, literas exaravit, queis eum de ſuo colendæ mutuæ amicitiæ, ac pacis integre ſervandæ ſtudio certiorem redderet; legationem itidem conſtituit, cui *Abu Juſufum*, judicem *Siſtaniæ*, præficiebat, virum integerrimæ vitæ, piumque, & a populo ſumma veneratione cultum, qui, quam religioſus in conſervanda pace eſſe velit *Chaleſus*, pluribus exponeret. Iſti & alium, ſibi fidum, hominem adjunxit, cui, portione toxici clandeſtine tradita,

hæc imparabat, dicens: ubi *Abu Jusufus* cum *Ustad Hermuzo* collocutus fuerit, hanc is ut portionem sumat, effice, tum in populo hunc rumorem sparge, ab *Ustad Hermuzo* interemtum fuisse judicem. Et vero perficiebat indigna factu vir abjectissimus, ubi in *Kermaniam* pervenerat; tum dromedario insidens, atque in *Sistaniam* redux, rem eo modo per vicos divulgaverat, ut sibi clanculum suggesta erat. Hæc inter *Chalefus* optimates, atque nobiliores *Sistaniæ* ad se se evocans, hisce verbis eos affatus est: necesse est, a familia *Deilemidarum* sanguinem viri hujus repetere, & vestra igitur interest, ut omnem in id operam impendatis; hi vero, clamorem, luctumque edentes, unanimi voce se promptos fore, reponebant. Exinde filium suum *Taherum* delegit, qui, magno stipatus militum numero, versus *Kermaniæ* confinia moveret. Maxima vero pars copiarum, quæ *Deilemidis* obtemperabant, *Zemamiæ* erat, atque hac versus *Taherus* etiam gressum dirigebat, ubi, inito cum *Deilemidis* certamine, victor discessit, *Deilemidis* ad arcem *Budesir* se se recipientibus. Hos insecutus *Taherus*, arcem milite circumdat, atque per tres menses tam arcta obsidione premit, ut obsessi, in extremas jam adducti angustias, *Ustad Hermuzo* per literas significaverint, si sibi suppetiæ ab eo mitterentur, sane quam opportunum fore, sin minus, arcem se se obsidentibus tradituros. *Ustad Hermuzus*, his commotus, ad servandam arcem contenderat; ut vero his locis proximior factus est, *Sistanienses* in suam denuo patriam reversi sunt.

Jemineddewlet, filius *Subugteghini*, armis *Sistaniam* itidem impetiit, cujus expeditionis hæc caussa erat: *Jemineddewlet Mahmudo* centrum regni *Chorosanæ*, milite vacuum, relinquen-

linquente, arque in *Transoxanas* provincias concedente, *Chalefus* filium ſuum *Taherum* in *Kubeſtaniam* contendere juſſit; unde is, & in *Chorofanam* deſcendens, urbem *Fuſeng* ſuæ poteſtati ſubjecit; qua tempeſtate cum urbe *Herata* eandem etiam hanc urbem *Fuſeng* gubernabat *Beikara Hak*, patruus *Jemineddewlet Mahmudi*. Rege *Jemineddewlet*, ab expeditione *Transoxana* reduce, *Beikara Hak* patruus ejus aſſenſum petiit, quo *Taherum* rurſus e terris hiſce expellere ſibi liceret. Facile itaque in id conſentiente patruo, eo proficiſcitur. *Taherus* quoque, ex urbe *Fuſeng* cum ſuis egreſſus, longo ordine diſpoſitum, atque ad pugnam paratum habebat exercitum. Quare utrinque armis quam acerrime concertatum eſt, dum *Taherus* tandem acie excedere cogebatur, quem ipſe etiam *Beikara Hak* inſecutus eſt, qui jam plurimis *Taheri* comitum cæſis, ſpoliiſque opimus, vino indulgere, & ob amplam adeo ſibi partam fortunam gloriari cœperat. Verum, cum male cautus, cum equo liberius in campo excurrit, ecce! *Taherus*, adductis habenis, e fuga regreſſus, tum *Baikara Hakum* a tergo adortus, uno ictu in terram exanimem proſternit; atque de equo deſiliens, capiteque a trunco reſecto, equum cum novo ſpolio rurſus conſcendens, in *Kubeſtaniam* revertitur.

Alia item cauſſa, quæ Sultani *Mahmudi* animum a *Chalefo* abalienabat, ea erat, quod ille inaudierat, *Chalefum* eo tempore, quo ipſi de *Naſſerehdini* obitu renuntiatum eſt, nimiam lætitiam præ ſe tuliſſe.

Jam omnia Sultano *Mahmudo* ad ſuſcipiendam in *Siſtaniam* expeditionem in promptu erant, cum anno denique tercenteſimo, & nonageſimo ſigna victricia eo converteret.

H. 390. incep. 12. Dec. A. C. 999.

 Cha-

Chalefus se recipiebat in arcem *Asfehbud*, adeo altam, ut, nubibus tecta, ipsa adeo astra attingere videretur; instabat tamen *Mahmudus*, tamque arcta obsidione septam tenebat arcem, ut *Chalefus*, omni spe frustratus, id unum expedire sibi existimaret, siquidem cum omni animi demissione se se dederet; misit igitur cum centum aureorum millibus, aliisque donis, qui suo nomine veniam a *Mahmudo* peteret.

Quantumvis autem Sultano *Mahmudo* propositum fuerit, omnem regionem, *Nimruz* dictam, cum adjacentibus terris a *Chalefi* jugo penitus liberare, in aliud id tamen tempus differebat, iis tum curis distentus, ut in *Indiam* iter institueret.

H. 391. incep. 30. Nov. A. C. 1000.

Anno tercentesimo nonagesimo primo *Taherus*, filius *Chalefi*, adiit *Kermaniam*, cujus hæc caussa fuit; post *Mahmudi* e *Sistania* discessum *Taherum* inter, patremque ipsius *Chalefum* dissensiones subortæ sunt, ita, ut filius, patri palam refractarius, & rebellis, cum eo armis decertare non dubitaverit; sed enim devictus in *Kermaniam* se recipere cogebatur. *Tahero* in provinciam istam adveniente, nonnulli, *Deilemidarum* partibus magis addicti, apud *Abu Musa*, quem *Behaeddewlet*, filius *Æzadeddewlet*, *Deilemida*, provinciæ rectorem constituit, contendebant, *Taherum* omni nunc potestate spoliatum esse, opportunissimum proin adesse tempus, eundem repellendi, priusquam viribus denuo invalescat. Verum *Abu Musa*, horum verba nil pensi habens, commodam hanc occasionem negligebat. Hinc *Taherus*, impune magnam hominum copiam sub sua signa convocans, comparato novo exercitu, in *Kuhestaniam* primum descendit, ubi, ut votis suorum satisfaceret, ad bellum omnia comparabat; confecto etiam numeroso equite,

exerci-

exercitum urbem *Hürfet* verſus deduxit, id agens, ut reliquam etiam *Kermaniæ* partem in ſuam poteſtatem redigeret. Inde commotus denique *Abu Muſa*, non exiguum *Deilemidarum* numerum *Tabero* obviam duxit; at commiſſo prælio vertenda *Deilemidis* fuere terga, occupata interea a *Tabero*, omni *Kermaniæ* provincia. His acceptis *Behaeddewlet*, quo rem in integrum reſtitueret, *Uſtad Hermuzum* ad id impediendum conſtituit; eo igitur iter illuc tenente, *Taberus*, (neque enim ad arma deventum erat) provincia decedens, in *Siſtaniam* ſe fuga ſubtraxit; ad cujus ubi confinia pervenerat, nobiliores e *Deilemidarum* familia, quos ſecum captivos duxerat, in concione admonet, ſibi præſto eſſe velint, quo patrem *Chalefum* e *Siſtania* depellere queat; ſe poſtmodum ultro ipſis conceſſurum, ut in patriam redeant. His dictis obſequentes, quin ſtrenuos adeo *Deilemidas* in prælio expertus eſt *Taberus*, ut *Chalefus* pugna cedere, atque intra muros munimenti cujusdam ſe recipere compelleretur. Neque profuerat, quod *Chalefus* clam viros expedierit, qui ſuos invitarent, ad priorem ut dominum redirent; ſiquidem *Taberus* populum omni ſtudio colebat, ſibique propenſum reddebat. Ad technas igitur converſus *Chalefus*, renunciari *Tabero* curat, ſibi, præter ipſum, nullum jam ſupereſſe filium, omnino ſe proinde metuere, ne, dum ipſe periret, in exterorum manus opes incidant; quare, ſi clanculum ſecum convenire vellet, omnia ſe ſe ipſi indicaturum. *Taberus*, nil mali parentis dictis ſubeſſe ſuſpicans, conſenſit denique, ſe ſe præſcripto certo tempore ſub arcis moenibus adeſſe velle; *Chalefus* igitur, viris ad inſidias locatis, atque, ubi *Taberus* ſe condicta

 hora

hora ad arcem ſiſtit, ex hac progreſſus, filium complexu ſtringit, lacrimaſque profundere incipit; eodem vero tempore conſtituti, e latebris prorumpentes, in *Taherum* irruunt, eundemque, ut juſſi erant, catenis onerant; quo facto ipſe pater enecans filium, ejusdem exanime corpus lavat, & ferali amiculo circumdat.

Paulo alia ratione hic ipſe caſus refertur in translatione hiſtoriæ, a *Jeminio* conſcriptæ. Commemorat nimirum laudatus hiſtoriographus, eo tempore, quo Sultanus *Mahmudus* ex *India* revertebatur, *Chalefum* principem ſui loco ad avitum regni thronum evexiſſe filium, *Ahmed Taherum*, clavibusque theſauri traditis, omnis imperii ſui gubernacula in eum tranſtuliſſe, ac demum, ut orationi vacare poſſet, in ſolitudinem ſe ſe recepiſſe, eorum veniam a Deo exoratum, quæ regni ſui tempore minus recte egiſſet.

Utebatur aliquantum hac nova vivendi ratione, dum denique abdicati imperii pœnitentia ductus, hanc machinam comparabat: ægrotum nimirum ſe ſimulans, filium, quaſi conſilia ipſi quædam ſuggeſturus, ad ſe clanculum evocarat, quosdam ſimul, ſibi fidos, in latebris recondens, qui, *Tahero* adveniente, cum mulieres lugubrem clamorem penes lectum edunt, ipſeque filius pulvinari patris propius adhæret, ſpecie mulierum erumpentes, eundem, prehenſum, & bene conſtrictum, in foveam demiſere, atque poſt dies aliquot, exanimi corpore extracto, rumorem in publicum ſparſere, ex mœrore ſe ipſum interemiſſe.

Verum *Taherus*, filius *Zeinebi*, aliique tum principes, tum nobiliores viri, qui ſpectaculo huic præſentes aderant, omnem animum a *Chalefo* avertebant, ſeque invicem

ad

ad odium excitantes, palam *Chalefo* refractarios fe fe oftentare minime dubitarunt. Hinc, licet is interea temporis regimine iterum potiretur, tam in publicis precibus, ubi principis nomen commemorari folet, quam in moneta Sultani *Mahmudi*, e familia *Gaznevidarum*, principis nomine utebantur; fuæ quoque fubmiffionis teftes literas ad Sultanum mifere, quibus, quæ evenere, omnia exponebant, intenfis id precibus flagitantes, fua ipfe figna eo convertere ne gravaretur.

Sultanus *Mahmudus* illorum petitioni benigne annuens, quæ a *Chalefo* patrata erant, indigno animo ferebat.

Interea *Chalefus* in *Tak* arce confidebat, feptem munimentis circumfepta, quorum quodvis altitudine fua ipfum prope cœlum æquabat, ampla infuper foffa, undique circumducta, eandem firmabat. Hic igitur & Sultanus *Mahmudus*, cum fuis confidens, caftra primum admoveri, tum maxima, qua fieri poterat, celeritate, arborum frufta una die congeri, hisque, ac terra fimul foffam repleri jubet, ita, ut equeftribus quidem, ac pedeftribus copiis acceffus facilis effet. Sultani deinde elephantes admoti deftruendæ arci operam impendebant. Neque ii, qui jam antehac a *Chalefo* defecere, ad liberandam arcem, melioribus, qua poterant, viribus adniti deftitere. Elephantum maximus, machinis in altum actus, in ipfam arcem immittebatur, ubi magnam virorum, qui *Chalefo* adftitere, copiam cædebat, in interiorem arcem fe præcipitantibus reliquis, atque, arreptis armis, vi obfiftere conantibus. Hæc inter *Chalefus*, ut novum hoc facinus videret, e fuo loco eo verfus fe movens, non fine ftupore mirabatur, fuperficiem terræ ob horrenda hominum, dæmonumque fpectra

tra fluctuum instar se se agitare; ipsumque elephantem, se coram, virum cum equo tantundem proboscide sua in altum egisse, quantum duplex spiculi jactus efficit, in terram deinde relapsum, compressis dentibus, in duas scidisse partes, atque a se denique projecisse. *Chalesus* hoc spectaculo perculsus adeo, ut pene spiritum redderet, ad deditionem, petendamque veniam se convertit. *Mahmudus*, propensissimo ad clementiam animo præditus, *Chaleso* veniam ultro concessit, ab ulteriori etiam vindicta se abstinens. *Chalesus* igitur paratis, quam licuit, pretiosissimis donis, in terram coram *Jemineddewlet* se prosternens, eum Sultanum compellabat, qui titulus *Mahmudo* longe gratissimus accidit; cum igitur, inclinato in terram capite, *Chalesus* se sisteret, tantam gemmarum copiam coram *Jemineddewlet* depromsit, ut ab harum splendore sol ipse multiplicatis radiis majorem a se fulgorem spargere videretur, moveretque principem, ut leviori negotio sibi veniam concederet. Sultanus etiam in exhibendo *Chaleso* honore nil prætermisit; eumque a terra attollens, omnia se ipsi facile condonasse affirmabat, quin suis etiam in mandatis dabat, ut opes, & quidquid alimentorum in arce superesset, in eum transferrent locum, quem *Chalesus* ipse indicaturus esset. Optio insuper illi data, ut, ubicunque locorum in Sultani ditionibus vellet, consideat, & pro libitu suo reliquos vitæ dies transigat. Hic itaque ob aeris temperiem locum, *Giuzgianan* dictum, sibi delegerat, hinc *Mahmudus*, honore, & benevolentia affectum *Chalesum*, in eundem abs se locum dimisit. Quatuor annorum spatio tranquille hic loci dies suos egit; verum, quod postea innotesceret, ipsi literarum commercium cum *Ilek Chano* inter-

cedere

cedere, e re fore, Sultano *Mahmudo* videbatur, ut in aliquam regni sui arcem ipsum transferret, quo in loco denique permansit, dum finem vivendi faceret. Sultanus post hæc præceperat, ut relictæ possessiones filio ipsius *Abu Hafizio* traderentur.

Ab auctore chronici, quod *versio Jeminii* inscribitur, *Emir Chalefus* ex maximis sui temporis regibus fuisse perhibetur, qui a liberalitate, benignitate, & præstantibus animi dotibus cumprimis celebris, maximas etiam pecuniarum summas in viros doctos, eosque, in quibus vitæ probitas laudabatur, profuderit. Poetæ pluribus eum epicediis, encomiisque celebrabant, omnium ore decantatis. Idem præcipue viros, sui temporis doctissimos, præstantissimosque convocabat, qui edendo *Alcorani* textui operam impenderent; huic editioni variæ simul commentatorum sententiæ, & variantes lectiones jungebantur, additis ubique tam antiquorum, quam posteriorum doctorum explanationibus, anomaliis itidem a grammatices regulis, diversisque phrasium conjunctionibus, quibus, ad consolidandam exactiorem explicationem, exempla, differentes versus, et traditiones subjiciebantur. Opus isthoc ut ad finem perduceretur, viginti aureorum millia constituit, eos remuneraturus, qui in hac editione operam suam locaturi essent.

Vastum hoc opus in gymnasio *Sabunensi*, quod in urbe *Nischabur* extitit, ad annum quingentesimum, & quadragesimum quintum servabatur; nunc temporis integrum, & completum in urbe *Ispahan* locum obtinet, in collectione librorum familiæ *Chagiendianæ*, quam Deus sospitem præstet. Hic pauper hujus operis editor, *Abu Escheref Nasih*, eo, quo a patria absens *Ispahani* morabatur, tempore, singulari

H. 545. incep. 29. Apr. A. C. 1150.

gulari benevolentia occaſionem nactus eſt, commentarios iſtos pervolvendi, & aliquid inde luminis percipiendi. Ii vero centum conſtant voluminibus, ita, ut integrum quis vitæ tempus iis deſcribendis inſumeret, neque aliquis inde, multorum niſi annorum decurſu, uſus haberi queat. Sunt autem verba iſta interpretis præfati chronici *Jeminii*, quibus de *Chaleſo*, filio *Ahmedis*, agit.

NOTAE
GEOGRAPHICO LITERARIAE
AD
HISTORIAM
PRIORUM
REGUM PERSARUM
POST FIRMATUM IN REGNO ISLAMISMUM.

Historia priorum regum Persarum, aut juxta textum orientalem سلاطين ايران *selātīnī Irān, i. e. regum Iraniæ.*

Regio *Iran*, nobis sub *Persidis* nomine notior, eum continet terræ tractum, qui, ab *Oxo* flumine ad sinum *Persicum*, & *Euphratem* protensus, *Indo* flumine ortum versus clauditur. Hanc ab ايرج *Ireg*, filio *Feriduni*, mutuatam esse nomen, cujus fratri توران *Tūrān* pars ea *Transoxana*, quæ ultra *Oxum* a mari *Caspio* in orientem patet, patrimonio obtigit, in illa *de Fatis LL. OO. commentatione pag.* 47. innui. Non abs re itaque fuerit, quæ historiographus *Mohammedes Emir Chond* parte prima historiæ suæ universalis de hac partitione nominatim commemorat, paucis hoc loco subjicere: tres hic *Feriduno* filios, quos inter sua regna diviserat, hisce verbis adscribit: ربع مسكونرا بسه قسم منقسم كردانيد نواحيء روم و ديار مغرب و مملكت فرنك با عمال و مضافات آن بسلم مسلم داشت و بلاد چين و ماچين بلكه تمامت تركستان زمين‌را بتور داد و ايرانرا كه عبارت از كنار آب فراتست تا شط جيحون و وسط معموره و خوشترين و بهترين مواضع عرصهء كيتي و واسطهء عقد دنياست نامزد ايرج فرمود *quatuor mundi plagas in tres partes divisit; tractum Romeorum* (regionum, quas subin *Græci* possedere) *cum Africæ, & Italiæ parte, huicque subjectis provinciis, & territoriis, ad eam pertinentibus, filio suo Selem*

 tradi-

tradidit. Vaſtum Chinæ regnum, *quin & Turkiſtaniam integram conſignavit filiorum alteri*, *Turan dicto. Iraniam denique*, *quæ ad Oxum uſque protenſa*, *extrema ſui parte ab Euphrate fluvio alluitur*, *regionem ſane optime cultam*, *portionem totius orbis præſtantiſſimam*, *medium mundi punctum occupantem*, *Ireḡ*, *filio ſuo*, *in patrimonium largitus eſt.* Et vero majori hunc præ duobus reliquis benevolentia proſequebatur; ii enim a filia *Zohak* progeniti, ferocitate, pravisque moribus avo extitere quam ſimillimi, hic contra, ut verba auctoris edocent, از ایران دخت که یکی از مخدرات و عظمای فرس بود در وجود آمد و جون شاهزاده از قید مهد رهای یافت و از منزل طفولیّت رحت بمرتبهٔ صبیّت کشید محاسن اهل تمیّز از شمایل او ظهور یافت و بآموختن علوم و تیر انداختن و تعلیم آداب فروسیّت اشتغال نموده باندک زمانی در آن صفت استادی حاذق و کامل کشت و از اختلاط با خداوندان عقل و کمال بنصیبی وافر محظی و بهرهمند آمد *ex Iranducht*, *primarum*, *honeſtiſſimarumque Perſiæ filiarum una*, *in mundum editus*, *ubi exemtus cunis*, *transactisque infantiæ annis maturiorem ætatem attigerat*, *præſtantia perſpicacis ingenii ſpecimina edidit; ſcientiarum ſtudiis*, *arti jaculandi tela*, *& diſciplinæ morum ſe ſe totum applicans*, *optimumque ex ſapientum*, *proborumque virorum conſortio fructum capiens.*

Interea *Iraniæ* nomen, utpote antiquius, minus recte apud Orientales *Perſiæ* tribuitur, communioribus hodiedum aut ممالک فرس *memāliki fars i. e. regionum Fars*, aut ممالک عجم *memāliki ǻḡem i. e. regionum aḡem* vocabulis inſignitæ; quorum primum vel in ſubſequente, quam, cum particulis aliis in latinum verſam, *cl. Uri* anno 1771. *Oxonii* edidit, narratione *Perſica* occurrit: عبد الله بن مقنع کوید که در کتب حکما که در خزانهٔ ملوك فرس بود دیدم که ملوك فرس بجهة ده خصلت که یادکار کیومرث بود بر سلاطین جهان تفضیل داشتند *Ego inquit*, *Abdallah*, *ben Mocana*, *in doctorum libris*, *qui in bibliotheca regum Perſiæ aſſervantur*, *legi*, *reges Perſiæ*, *propter decem virtutes*, *quæ in Cajumaras eminebant maxime*, *reliquos orbis terrarum principes antecelluiſſe. Fars* itaque, quod *Perſice* فرس *fers Arabice* فارس *fārs*, atque ob literæ transmutationem

etiam

etiam پارس *pārs* fcribitur, animadvertente *cl. Hyde in hift. rel. vet. Perf. p.* 427. minime totum in *Ulughbegii*, & *Naffireddini* tabulis imperium *Perficum* nomine ifto complectitur, quin neque dimidiam ejus partem, fed certam folummodo regionis portionem, quæ *Perfepolim* cum *Schiraz*, & *Ispahan* &c. in fe continet. Aft *Ibni Fachriddin* totum ايران *Irān*, feu *Perfiæ* regnum ab *Oxo* ad *Euphratem*, & a باب آلابواب *bābūlēbwāb* ad mare عمّان *Ommān* olim *Fārs*, vel *Pārs* fuiffe dictum, multasque alias, procedente tempore, *Perfiæ* tandem adjunctas effe provincias, commemorat, in quibus & خراسان *Chorāsān* fuerit, antiquo *Perfarum* idiomate *orientem* fignificans; ideoque fic dicta, quod urbi اصطخر *istæchær*, feu *Perfepoli* contra orientem fit. Quod ad vocabulum عجم *æḡem* attinet, id, ex lingua *Arabica* ortum, fignificat: *barbarus*, qui *barbare*, *i. e. non Arabice locutus fuit.* Ut nempe *Romani* exteras nationes barbaras dicere confuevere, eadem plane ratione, eodemque fenfu & pro *Perfis* defignandis hæc vox quam maxime adhibita, ipfos etiam inter *Perfidis* incolas jus civitatis obtinuit; ita, ut ad hodiernam diem orientis geographi binas illas provincias عراق *ÿrāk* dictas, diftincturi, illam *Perfidis* عراق عجم *ÿrākī æḡem*, عراق عراب *ÿrākī ærāb* alteram appellent. Sic *Ferdufi* in fuo libro, شاه نامه *śāh nāme*, *i. e. liber regum*, dicto, inter alia canit:

کجا آن فریدون ضحاک و جم ❊ شاهان عرب و خسروان عجم
همه خاک دارند بالین خشت ❊ خنك آنكه جز تخم نیکی نکشت

Ubi funt ille Feridunus, Zohakus, Giemfchidius?
Reges Arabiæ, & monarchæ Perfiæ!
Omnibus nunc terra eft durum pulvinar.
Quam bene illi! qui nil nifi bonum femen fparfit.

Sunt & alia ceterum, licet rarius adhiberi folita, *Perfiæ* nomina, ut شاهستان *śāhiftān*, i. e. *ditio Schah*, feu regis; illius fcilicet, cujus *Schah* titulus eft, dominio fubjacens. Item تاجیک *tāḡīk*, ubi rex coronam gerit, تاج *tāḡ* dictam. Sed de his, aliisque pluribus confule *cl. Hyde in hift. rel. vet. Perf. cap.* 35. De fingulis vero, in quas *Perfia* dividitur, provinciis commodior paulo inferius erit dicendi locus; fubjecta itidem huic operi tabula, commodius, qui regni ipfius, & cujusque provinciæ fint limites, illuftrabit.

AD

AD DYNASTIAM TAHERIDARUM.

Pag. 1. lin. 2. *Taherus Zuüljeminein ſibi, ſucceſſoribusque ſuis ſupremum imperium vendicat.*

Taheri ſoboles, primam a confirmato in *Perſide* Islamismo dynaſtiam conſtituens, *Tahero*, celebri, ut hiſtoria refert, *Mamuni* Chalifæ duci originem ſuam debet. Quinque hac ex familia principes ſummo cum imperio jura dedere *Perſiæ*; ceteris quoque ejusdem ſtirpis hominibus maximo ſemper in honore apud Chalifas habitis. Hujus generis ſeriem pro illuſtranda hiſtoria a capite arceſſere, atque in adjecta deſcriptione perſequi placuit.

Moaſab Hozai.

Huſeinus.
m. a. h. 199.

I.
Taherus.
Choroſanæ gubernandæ præficitur a. h. 205. m. a. h. 207.

II.
Taleha
Adipiſcitur *Choroſanæ* principatum a. h. 209. m. a. h. 213.

Ali
Subſtitutionis jure patris ſucceſſor, haud multo poſt vita a ſeditioſis exuitur.

III
Abdullahus
Choroſanam gubernandam ſuſcipit a. h. 214. m. a. h. 230.

Mohammedes.
A *Mutewekilio* exercitui præfectus, ſimul Chalifæ in terris Moslemicis vicarius conſtituitur, atque a *Moſtæino*, *Iraeæ*, & duarum ſacrarum *Arabiæ* urbium princeps renuntiatur. mor. a. h. 253.

IV
Taherus
Choroſanæ gubernium adit a. h. 230. m. a. h. 248.

Suleimanus
A *Mohammede* nepote *Tabariſtanæ* præfectus, tum pugna ab *Haſano* victus, a *Moſtæino* dux exercitus creatur. m. a. h. 253.

V
Mohammedes
Regendæ *Choroſanæ* præficitur a. h. 248. capitur a *Jacubo Leiſio* a. h. 259.

Sunt

Sunt quidem, qui *Taheridas* regibus minime accenſeant, resque ipſorum geſtas in *Abbaſidarum* hiſtoria referant; verum hos haud recte iſta aſſerere, vel ex eo patet, quod huic familiæ, cui quinquaginta omnino, & ſex annis ſumma in adminiſtrandis *Choroſanæ* rebus poteſtas erat, a *Tahero* ambidextro, patre ſuo, ac capite nomen trahere licuerit, ut ex his verbis *Emir Jahjai*, qui celebrem hiſtoriæ *Perſicæ* epitomen reliquit, intelligitur: بعضي مؤرخان اين طايفەرا در اعداد سلاطين نياورده اند و اخبار ايشان در ضمن احوال بني عبّاس ذكر كرده اند امّا چون طاهر ذو اليمنين مقدم اين طايفه است كه حكومت خراسان پنجاه و شش سال در دست داشت فرقەرا بدو بخواندند *Nonnulli hiſtoriographi hanc gentem regum familiis non adnumerant, & ipſorum notitiam Abbaſidarum geſtis inſerunt; quoniam autem Taherus ambidexter primus hujus familiæ eſt, quæ in Choroſana per quinquaginta ſex annos regnavit, ab eo omnis gens hæc nomen accepit.* Qui *Taheridas* regum familiis non adnumerant, cumprimis ſunt hiſtoriographi *Arabes*: ut *Abulfeda*, *Abulfaragius*, & *Elmacinus*. Scriptores contra *Perſidis* ab hac familia regum ſeriem ordiuntur, qui poſt ſtabilitum Islamismum ſummo cum imperio regebant.

Taherus, filius Huſein.

Pag. 1. lin. 4.

Huſeinum, patrem *Taheri*, anno ſupra centeſimum nonageſimo nono, & in *Choroſana* quidem, vita exceſiſſe, in ſua hiſtoria *Abulfeda* commemorat; unde miſiſſe dicitur *Mamunus*, qui de patris morte lugenti *Tahero* conſolationem ſuo nomine adferrent.

Interfecto Mohammed Emino, ſexto Abbaſidarum Chalifa.

Pag. 1. lin. 4. & ſeq.

Emini cædes qua de cauſſa, quoque modo facta ſit, paucis hic expediendum. *Eminus* reſciſſa *Raſchidii* pactione, qua *Mamunum* in Chalifatu ſuccedere oportebat, proprioque filio *Muſa*, in fœderis ſocietatem accito, adverſus *Mamunum* exercitum ducebat; ve-

rum exercitu ipſius inſigni clade a *Tahero*, feliciſſimo *Mamuni* duce, adfecto, *Eminus* ipſe graviſſima *Bagdadi* obſidione premi cœptus; dum præcipiti inde fuga ſe ſe proripiens, retractus in carcerem, oppreſſisque, *Taheri* juſſu, faucibus, e vivis ſublatus eſt. Hæc cædes ad annum centeſimum octavum ab hiſtoricis paſſim refertur. *Mirchondius* in tomo tertio, quo Chalifarum hiſtoriam complexus eſt, eandem primis diebus lunæ *Muharrem* hujus anni hegiræ eveniſſe, narrat; quod tempus noſtra computatione primis diebus ſeptembris anni Chriſti octingenteſimi decimi tertii reſpondet.

Kehrius in ſua *de nummis Cufficis commentatione* numero XIV. numum exhibet, cujus hæc inſcriptio: بمدينة اصبهان *i. e. cuſus in urbe Ispahan.* Et dein: سنة, تسعين و مية i. e. *anno hegiræ centeſimo nonageſimo ſexto.* Numum iſtum *Kehrius* conducendi militis ergo ab *Emino* excuſum eſſe, ex eo conjicit, quod in hiſtoria, per idem tempus in *Choroſanam* quadraginta militum millia adverſus *Taherum*, eventu licet minime proſpero, miſiſſe dicatur. Sed *Abulfaragii* verba pag. 240. legenti, ubi inter alia de *Emino* ita ſcribit: فامر الامين باطال ما ضرب المامون من الدراهيم و الدنانير بخراسان *Quin, Eminus, & numorum, quos in Choroſana cudi curarat Al-Mamum, ſive argenteos, ſive aureos, uſu interdixit*: dubium ſuboritur, an laudatus numus non tribuendus ſit vel *Mamuno*, jam tunc univerſam *Perſiam* moderanti, vel ſaltem ab *Emino* eo animo publici juris in *Perſia* factus ſit, quo facilius fratris aboleret monetam, cujus cudendæ jus maximi ſemper momenti apud orientales principes fuiſſe, nemo ignorat.

Pag. 1. lin. 5. & ſeq. *Succeſſorem, fratremque ejus Mamunum, ex Choroſanæ provincia Bagdadum concedentem, ſecutus.*

Mamunus, provinciis omnibus ab *Hamadana* ad ultimum orientem, a patre *Harunirraſchid* ſibi conceſſis, potitus, tanto earum tenebatur amore, ut Chalifa etiam, ſublato fratre, renuntiatus, non niſi quatuor poſt annis, *Bagdadum*, avitam Chaliſarum ſedem, *Choroſana* relicta, petierit; idque, ut *Elmacinus* ad annum ducenteſimum,

tesimum, & secundum memorat, hac tantum de caussa, quod omni *Babylonia* seditionibus, ac bellis intestinis fœde adflicta, fideique sacramento patruo ipsius *Ibrahimo*, filio *Mahdi*, præstito, excitos coram motus componere cogeretur. Moslemici *Abulfedæ* annales id ipsum confirmant; Chronologicæ contra *Hagi Chalfe* tabulæ, hoc admodum seculo prelis *Constantinopoli* subjectæ, anno sequenti, ducentesimo nimirum, & tertio *Chorosana* excessisse *Mamunum*, & in *Babyloniam*, ubi sedem postea fixerat, iter instituisse, his verbis indicant: رفتن مأمون از خراسان و تمکن او در بغداد Quibus & *Abulfaragius* in sua *Dynastiarum historia* adstipulatur; sed enim animadvertendum, evidenti omnino errore annum ثلث و ثمانين i. e. *octogesimum tertium* in narratione *Arabica* irrepsisse; id, quod latina quoque *Pocockii* versio in margine indicat, anno *tertio* supra *ducentesimum* restituto.

Bagdadum concedentem secutus.

Pag. 1. lin. 6. & seq.

Bagdad, metropolis *Yrakæ Babylonicæ* sub gradu longitudinis 80, in quo consentiunt *Nassireddinus*, & *Ulughbegius*, latitudinis vero secundum *Nassireddinum* 21, at secundum *Ulughbegium*, aliosque astronomos, testante id *Golio* in *notis ad Alfraganium*, 25 sita, a fluvio *Tigri* secatur media. *Hagi Chalfe* in descriptione hujus urbis, eam insignis magnitudinis esse, perhibet, quam cum centum, & sexaginta tribus turribus murus cingat, cujusque peripheria 12400 cubitos efficiat: يوز التمش اوچ برج و اون ايكي بيك دورتيوز ذراعدر ampla itidem compita, pluresque in ea visuntur majores areæ, arx denique interior *Bagdadum* mirum quantum exornat, tueturque.

Urbem istam cum veteri *Chaldæorum* metropoli, *Babylone*, male confundi, vel eo in *notis ad Alfraganium* comprobat *Golius*, quod æque *Euphrates Babylonem*, atque *Tigris* hodie *Bagdadum* bifariam dividat. Secundum hanc itaque præposteram traditionem, & *Zohakus*, primæ ex antiquissimis *Persarum* dynastiis princeps, urbis hujus fundamenta jecisse, & *Kaikausius* magorum eandem fanis, atque aliis insuper ædificiis exornasse, dicitur. Verum *Mansu-*

rum Chalifam ejusdem conditorem fuiſſe, cumprimis ex *Elmacino* patet, qui rem ita narrat: في سنة خمس و اربعين و مائة شرع ٱلمنصور في بناء مدينة بغداد و اسها في وقت اتفق ٱلمنجمون على اختياره و قيل انها كانت مرجة خضري فيها صومعة راهب اسمه بغداد و سميت باسم الراهب و سماها ٱلمنصور مدينة ٱلسلام ولما بناوها صارت مستقرّ آلخلفا ٱلعباسيين *Anno centeſimo quadrageſimo quinto juſſit Manſur ædificari civitatem Bagdadum, eamque fundavit eo tempore, quod unanimi conſenſu elegerant aſtrologi. Dicitur autem, fuiſſe pratum viride, in quo tugurium erat eremitæ, cui nomen erat Bagdadi, atque ab eo hoc nominis traxiſſe. Manſur autem eam appellavit civitatem pacis. Utque abſoluta fuit ædificatio ejus, facta eſt ſedes Chalifis Abbaſidarum.*

Urbs iſta, ſi duos, tresve demas, omnium omnino in Chalifatu ſucceſſorum ſedes erat uſque ad annum hegiræ ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum, quo eandem *Holagu* ceperat, Chalifarum regimini finem adferens. Variis exinde jam *Tatarorum*, jam *Perſarum* principibus erat ſubdita, quoad anno hegiræ milleſimo quadrageſimo octavo una cum tractibus adjacentibus a Sultano *Murado* erepta *Perſis*, provinciis *Turcicis* aggregaretur. Hodiedum a Paſſa gubernatur, in viginti numero *Beglik* diviſa; juxta tabulam redituum imperii *Ottomanici*, a *Marſilio* exhibitam 73020 *piaſtros* annuos pendit, & 1770 militibus alimenta præbet. A *Perſis* poſtmodum variis modis laceſſita, vix quatuor abhinc annis, jam propius admoto *Perſarum* exercitu, in novum diſcrimen adducebatur, quo tamen, e vivis repente ſublato زند كريم خان *Zend kerīm chān*, horum principe, denuo liberata eſt.

Quod ad alia urbis hujus nomina attinet, ea varia recenſentur; ut مدينة ٱلسلام *medīnetus-selam* i. e. *civitas pacis*, ſeu *incolumitatis*; مدينة ٱلمنصور *medīnetül-manſur* i. e. *urbs Manſuri*, a ſuo conditore ſic dicta; demum etiam, quod exteriores urbis portæ interioribus nequaquam reſponderent, زورا *zewrā* i. e. *obliqua* vocabatur. Unde celebris poeta *Tograi* in carmine, *Lamie* dicto, ita canit:

فيم ٱلاقامة بٱلزوراء لاسكني * بها ولا ناقتي فيها ولا جملي

Cur

Cur maneam Zawræ (i. e. Bagdadi) *non eſt habitaculum meum*
In ea neque camela mea , neque camelus meus.

Plures porro urbis hujus hiſtoriæ extant, ex quibus ob præſtantiam ſuam ſequentes præprimis commendantur : تاريخ بغداد *tārȳchĭ bæghdād* i. e. *Annales Bagdadenſes* , opus vaſtum, & decem tomis comprehenſum, tum تاريخ نجّار *tārȳchĭ næḡḡār* i. e. *Hiſtoria ab Ibni Nağiar* conſcripta , ac denique كلشن خلفا *giülśenĭ chulife* i. e. *Roſetum Chalifarum*, annales ejusdem urbis complectens auctore نظمي زاده افندي *Nazmī zāde efendī* ; quod opus anno hegiræ milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio *Conſtantinopoli* typis datum, cl. *Clodius*, ut in ſuo *Chronico peregrinantium* indicat ; translaturus fuerat, ni morte præoccupatus fuiſſet.

Taherus — — Mamunum ex Choroſanæ provincia Bagdadum concedentem ſecutus, eos inter, qui individui comites principi adhærebant, usque eo familiaritate illius utebatur. Pag. 1. lin. 6. & ſeq.

Ingentem nominis celebritatem conſecutus *Taherus*, prima illa potiſſimum in *Eminum* expeditione, ad annum centeſimum nonageſimum quintum a chronologis referri ſolita, *Mamuni* animum ſibi conciliavit. Plena aleæ, ac cum præſentiſſimo diſcrimine conjuncta res erat. *Emini* ducem, *Alin* cum quinquaginta omnino militum millibus, ad prælium expeditis, obviam nactus, viribus licet ipſe longe inferior, (nam quatuor nonniſi millia numerabat) congredi tamen cum hoſte non dubitabat, editaque ingenti ſtrage, & ipſius adeo belli ducis *Ali* capite potitus, victor redibat. Variis dein provinciis a *Mamuno* præeſſe juſſus, *Yrakam* primum, ſuffectoque ejus in locum anno centeſimo nonageſimo octavo *Haſano*, filio *Saheli*, *Meſopotamiam*, *Tſuguram*, & *Syriam*, teſte *Elmacino* adminiſtrabat; Ceterum, ut ſuperius relatum eſt, Chalifæ ex *Choroſana* in *Babyloniam* tranſitus, ipſo *Tahero* comitante, in annum ducenteſimum, & ſecundum incidit.

Pag. 1. lin. 9. & seq.

Dum die quadam Mamunum adiens, compotationibus indulgentem conspexisset.

Mirum profecto videtur, quod, cum a Moslemicæ legis auctore omni vini usu tam severe interdictum sit, ut suræ secundæ versu 219: يَسْئَلُونَكَ عَنِ ٱلْخَمْرِ وَ ٱلْمَيْسِرِ قُلْ فِيهِمَا إِثْمٌ كَبِيرٌ وَ مَنَافِعُ لِلنَّاسِ وَ إِثْمُهُمَا أَكْبَرُ مِنْ نَفْعِهِمَا *Interrogabunt te de vino, & alea, responde: in utroque est peccatum grave, & utilitates hominibus: sed peccatum utriusque majus est, quam utilitas utriusque.* Itemque, & multo quidem gravius sura quinta, versu 99: يَا أَيُّهَا ٱلَّذِينَ آمَنُوا إِنَّمَا ٱلْخَمْرُ وَ ٱلْمَيْسِرُ وَ ٱلْأَنْصَابُ وَ ٱلْأَزْلَامُ رِجْسٌ مِنْ عَمَلِ ٱلشَّيْطَانِ فَٱجْتَنِبُوهُ لَعَلَّكُمْ تُفْلِحُونَ *O qui crediderunt: certe vinum, & alea, & statuæ & sagittæ sunt abominatio ex opere Satanæ: itaque devitate illud, ut vos felices sitis.* Quod inquam, ipse Chalifa, امير ٱلمومنين *emirül-mueminin* i. e. credentium princeps omnium consensu habitus, intemperantissimis tamen perpotationibus ita indulserit, ut suæ ipsius gentis historiographi rem pervulgatam taciti haud præterirent. Ast annales Chalifarum penitius perscrutantes, nil turpe ab hisce religionis suæ defensoribus alienum fuisse deprehendemus. *Elmacinus*, ut, missis ceteris, vel unius meminerimus, ad annum ducentesimum septuagesimum nonum de *Mutamido* dicit: و سيرته كان خليعا للهو و ٱلطرب مقبلا علي ٱللذات اشتغل بذلك عن تدبير رعاياه و ٱلنظر في امر مملكته *quo ad naturam gluto fuit, amans lusum, & hilaritatem, ita voluptatibus deditus, & studens, ut subditorum suorum gubernationem, & negotiorum regni sui inspectionem negligeret.* De *Mutewekilio* memoriæ prodidit *Abulfeda*, ipsum ducentesimo, & quadragesimo septimo anno, dum solus ageret, eo in stragulo, in quo cum amicis compotationes celebrare consueverat, quorumdam gladiis confossum, interiisse.

Cui

Cui princeps mox vini pocula quæpiam ab Huſeino eunucho præberi juſſit.

Pag. 1. lin. 10. & ſeq.

Miniſteriis domeſticis eunuchos adhibere, jam antiquiſſimis temporibus ſolenne *Perſis* fuerat; id, quod cumprimis ex *Xenophonte* patet, qui libro ſeptimo *Cyrop :* ἀρξαμενος ait ἀπο των Θυρωρων παντας τους περι το ἑαυτου σωμα θεραπευτηρας ἐποιησα τους ἐυνουχους *ab janitoribus facto initio, omnibus, quibus corporis ſui curam mandabat, eunuchos delegit.* Ea porro inter officia, queis eunuchi iis temporibus fungerentur, hoc quoque referebatur, principi nempe, hujusque convivis pocula miniſtrare, de quo itidem ex *Xenophontis Cyrop. libr. primi cap. tertio* edocemur, ubi *Aſtyages* adhucdum juveni *Cyro* objicit, quod, ubi officiales ſingulos aulæ ſuæ quodam favoris ſigno cohoneſtaſſet, ſolius pincernæ oblitus ſit, qui venuſte adeo pateras circumferre noſſet.

In iſtum *Xenophontis* locum incidenti, & id animadvertiſſe placuit, eundem hunc pincernam a *Xenophonte* Σακας compellari, viderique, ab auctore nomen iſthoc, ut nomen proprium illi tribui, vel, ut aliis placet, nomen eſſe gentile, quoniam, ſicut *Herodotus* libro octavo teſtatur, ita *Scythæ* a *Perſis* compellati fuere; ſed quid? ſi & tum jam officii id nomen fuerit? dubium ſane hoc videtur, eoque magis, quod & hodie vox iſta (quamquam & *Arabicam* illi derivationem tribui non ignorem) a poetis paſſim pro pocillatore uſurpetur, ut in nota illa *Hafyzii* oda palam fit, quæ incipit:

ساقي بنور باده برافروز جام ما * مطرب بكو كه كار جهان شد بكام ما

quod Lib. Baro *Revizkyus* in ſuo de *Hafyzio* opuſculo ita vertit:

> *O pocillator! fulgore meri coruſcum fac poculum meum,*
> *O pſaltes! canta, quia res mundi ad mea vota cedunt.*

Et in altera itidem, cujus hoc initium:

ساقي بيار باده كه آمد زمان كل * تا بشكنيم توبه دكر درميان كل

> *Affer pincerna vinum, quoniam venit tempus roſarum,*
> *Ut violemus pœnitentiæ vota iterum inter roſas.*

O prin-

Pag. 1. lin. 13, & seq.

O princeps credentium!

Titulum istum *Mohammedis* in Chalifatu successoribus communem fuisse, & hodiedum *Constantinopoleos* Sultanos eodem compellari, etsi notum jam plerisque omnibus sit, minime tamen abs re fuerit, compellationis hujus originem huc loci transscribere, quam *Patricides* in *historia sua ecclesiastica pag.* 294. his verbis exhibet: و المغيرة هو اوّل من سما عمر بن ٱلخطاب امير ٱلمومنين لأن ٱلنّاس كانوا بعد موت محمّد يسموا ابو بكر خليفة رسول ٱللّه و اذا كتبوا اليه عماله كتبوا الي خليفة خليفة رسول ٱللّه من فلان ولما ولي عمر بن ٱلخطاب كانوا يسمونه خليفة رسول ٱللّه و كانوا عماله يكتبوا اليه الي خليفة خليفة رسول ٱللّه من فلان ولما ولي عمر بن ٱلخطاب المغيرة ابن شعبة علي ٱلبصرة كتب اليه لعبد ٱللّه عمر بن ٱلخطاب امير ٱلمومنين فسمي عمر بن ٱلخطاب امير ٱلمومنين فمن ذلك ٱلوقت يسميوا ٱلخلفاء امرا ٱلمومنين *Moghaira autem fuit primus, qui Omarum, filium Chitab, nomine princeps credentium compellavit; nam homines post mortem Mohammedis Abu Begrum nominarunt Chalifam, seu successorem legati Dei, & quotiescunque praefecti ejus illi literas exararunt, his inscripsere: Chalifae seu successori legati Dei a N; succedente autem Omaro, filio Chitabi, eundem successorem successoris legati Dei nuncuparunt; & scripsere praefecti ejus: Ad successorem successoris legati Dei a N. Dum vero praefecisset Omar, filius Chitab, Moghairam, filium Schaabet, Bassorae, hic ita ad literas inscripsit: Servo Dei, Omaro, filio Chitab, principi credentium; igitur vocatus est Omar, filius Chitab, princeps credentium, & ab illo tempore Chalifae vocati sunt Umra-ul muminime, seu principes credentium.* Quem titulum *Genebrardus*, & post hunc alii quoque in *Miramolinus* ridicule transmutarunt.

Pag. 2. lin. 26. & seq.

Ad Vezirium Ahmed, Abu Chalid, adibat.

Vezirii, vel si malis, *Consiliarii*, juxta *Erpenii* versionem, munere fungebatur *Ahmed, Abu Chalid*; succedebat *Fazlo*, filio *Sahili*,

hili, anno hegiræ ducentesimo secundo e medio, Chalifæ jussu, sublato; fratri item hujus *Hasano*, qui sequenti mox anno, a quo id muneris adiit, rursus amotus est, propterea, quod, teste *Abulfeda*, tam atrociter in illum atra bilis desæviret, ut catenis, mentis impos, constringendus, & custodia continendus esset. Vezirio porro illi lusci nomen fuisse, sequentia *Elmacini* verba manifestum faciunt: وزر له بعد آلفضل بن سهل اخاه ثمّ احمد بن ابي خالد آلاحول *Consiliarium suum constituit post Fadlum, filium Sahali, fratremque ejus; deinde Ahmedem, filium Abi Chalidis, luscum.* Jam neque huic *Abu Chalido* omni, quo Chalifatu *Mamunus* potiebatur, tempore muneri suo præesse licuit, ut, qui, eodem *Elmacino* auctore, *Ahmedem*, filium *Jusufi*, successorem nactus est.

Eique Tatarorum imminere exercitum.

Pag. 5. lin. 10.

Tatari, aut, ut pro varietate in aliis manuscriptis codicibus usurpatum observavi, *Turcæ*, *Tatarorum* propago, *Caucasi*, & maris *Caspii* loca vasta, & inculta inhabitantes, atque nullo non tempore a nimio terras novas occupandi studio in historiis orientalibus noti, jam inde ab antiquissimis temporibus infesti *Persis* extitere: sic افراسب *afrāsabum*, de gente ista fuisse, historici orientales perhibent, qui, cum منوچهر *menućehrum*, regem *Persiæ*, bello peteret, devictus, pedem referre cogebatur, constituto etiam a *Menućehro*, quo pax firma esset, *Turcas* inter, atque *Persas* termino, *Oxo* flumine. Jam post propagatam Moslemorum legem gravius & in ipsum etiam Chalifarum imperium vires suas exerebant; siquidem anno hegiræ octogesimo secundo *Abdürrahmanus*, filius *Mohammedis*, filii *Aśæb*, *Kendæus*, conquestus de *Hæğiağo* fuisse, perhibetur, quasi id unum intenderet, ut a *Turcis* superarentur. *Itaque*, continuat auctor noster فاتفقوا علي خلعه و بايعوا عبد آلرّحمن بن محمّد فصالح عبد آلرّحمن ملك آلتّرك وعاد الي آلعراق بحرب آلحجّاج *unanimiter deponunt (Hæğiağum,) & juramentum fidelitatis præstant Abdürrahmano, filio Mohammedis, qui, pace cum Turcarum rege facta, reversus est in Yrakam, bellum gesturus cum Hæğiağo.*

Et vero haud vanam *Abu Chalidi*, ſupra laudati Vezirii de reprimenda *Turcarum* potentia, iisque a confinibus *Chorosanæ* arcendis ſolicitudinem fuiſſe, ſequentia tempora docuere, queis *Turcæ* in ipſa adeo Chalifatus ſucceſſione turbas ſæpe numero excitarunt. Iidem enim, ut cetera prætercam, *Mutazzo billah*, Chalifa ſalutato, mox *Mucjedum*, fratrem ipſius, e carcere eductum, renuntiare principem attentabant; iidem etiam anno hegiræ ducenteſimo quinquageſimo ſexto Chaliſæ *Muhtadi billah* ſe opponebant adeo, ut neque Corani, quem ſinu ſuo Chalifa geſtabat, reverentia moti, eundem Chalifatui renuntiare compulerint. Ceterum *Turcorum* hoc genus cum *Osmanidarum* ſtirpe, *Conſtantinopolim* hodiedum ſummo cum imperio obtinente, nullo pacto confundendum eſſe, jam in *commentatione de fatis LL. OO.* §. *X. pag.* 64. & *ſeq.* pluribus comprobatum eſt.

Pag. 5. lin. 10. & ſeq.

Ghaſanum, huic provinciæ præfectum, nequaquam eidem ſtrenue defendendæ ſufficere.

Ghaſan præfectus *Chorosanæ* anno hegiræ ducenteſimo ſecundo renuntiatus eſt, quo *Mamuno*, ob *Ibrahimum*, in *Babylonia* a militibus Chalifam creatum, e *Chorosana* in *Babyloniam* concedendum fuit.

Pag. 5. lin. 18. & ſeq.

Taherus igitur in Chorosanam iter agreſſus.

Chorosanam regionem *Abulfeda* hiſce verbis definit: يحيط بها من جهة الغرب المفازة التي بينها و بلاد الجبل وجرجان و يحيط بها من جهة الجنوب المفازة فاصلة بينها و بين فارس و قومس و يحيط بها من الشرق نواحي سجستان و بلاد الهند و يحيط بها من الشمال بلاد ماورا النهر و شيء من تركستان *Cingit eam ab occaſu deſertum, quod interjacet ipſam, & regionem montoſam, & Giorgianam.* (metropolim nempe Hyrcaniæ) *Ab auſtro eam terminat deſertum, quod inter provinciam Fars, & Komis exporrigitur. Ab ortu autem limi-*

tes

tes illi ſunt partes Segeſtanæ. Denique ab auſtro eam terminat Transoxana regio, & portio Turkeſtanæ.

Hic itaque terræ tractus, ut *Golius* in *notis ad Alfraganium* animadvertit, juxta *Ptolomæi* deſcriptionem, antiquorum *Parthiam*, *Ariam*, *Paropamiſum*, tum *Margianam* cum *Bactriana* continet. Si ipſius vocabuli خوراسان *chorāſān* etymon ſpectetur, id ex antiqua voce *Perſica* خور *chor*, quod *ſolem* denotat, & سان *sān* i. e. *terræ tractus*, componitur, ita, ut خوراسان *chorāsān* idem, ac *regio meridionalis* ſignificet. Regio hæc, ut *Hagi Chalfe* in *opere ſuo geographico* oſtendit: وسط اقايمده واقع اولمغله آب و هواسي خوب خلقي معتدل آلمزاج عاقل و دانا و قوي و توانا اولور *in temperato climate ſita, aqua, & aere ſalubri, incolis tum firmæ conſtitutionis, tum optimi ingenii, ſagacibus denique, fortibus, & robuſtis gaudet.* Idem hic auctor præter majoris momenti urbes quingenta circiter oppida *Choroſanam* complecti aſſerit, & paulo infra etiam *Hamdallahii* teſtimonium adfert, qui antiquis temporibus *Kuheſtan*, *Mazanderan*, & *Kums* adnumerata *Choroſanæ* fuiſſe, eaque tempeſtate, qua *Mogolenſes* rerum ſumma in *Perſia* potiebantur, *Choroſan*, *Kuheſtan*, *Kums*, itemque *Mazanderan*, & *Tabariſtan* pro uno, eodemque regno habita fuiſſe, perhibet. Queis tamen paulo ante citatus auctor ſubjicit, *Kums*, *Mazanderan*, & *Tabariſtan* ſeparatas eſſe regiones, etſi قهستان *kuheſtān*, quam *Geographus Nubienſis* ſub climate quarto notatam, قوهسان *kūhesān* erronee ſcribit, dicens: قوهسان المجاورة للمفازة آلكبيرة *kūhesān finitima deſerto magno &c.* a pluribus aliis, ipſoque etiam *Hagi Chalfe* in nominato *opere geographico*, *Choroſanæ* adjungatur.

Quadam die veneris Taherus ſuggeſtum in fano conſcendens, publicas preces recitare coeperat, atque, ubi mentio Chalifæ nominis facienda erat, verba iſthæc ſufficiebat. Pag. 5. lin. 23. & ſeq.

Orientalibus orationes iſtæ خطبه *chutbe* dicuntur, i. e. uti recte cl. *Meninskius* in ſuo *theſauro LL. OO.* innuit, *oratio ſolennis, quæ fieri ſolet a Muſulmanis poſt precationem meridionalem feriæ ſextæ in majoribus fanis, ubi benedicitur Mohammedi, ejusque familiæ,*

ac regi, vel monarchæ tunc regnanti. Erat hæc ſolennis functio, quam in ſuggeſtu, *Herbelotio* referente, Chaliſæ peragebant, veri utpote, & ſoli religionis *Mohammedanicæ* antiſtites, quæve, eodem *Herbelotio* teſte, ſub principio iis ſolis reſervata, ab omnibus omnino non interrupta ſerie uſque ad tempora الراضي بالله ابو العباس *er-razi billah abu-ülābbās* conſervabatur, qui ultimus coram ipſe orationes iſtas fundebat, eo poſtmodum, ut refertur, more invaleſcente, ut كاتب *kātib*, ſeu Chalifatus ſcriba hoc in munere principis partes ſuſtineret. Id *Elmacinus pag.* 202. hunc in modum teſtatur: و ختم الراضي الخلفا في امور عدّة منها انه اخر خليفة له شعر مدون واخر خليفة انفرد بتدبير الجيوش و الاموال واخر خليفة خطب علي منبر يوم الجمعة *Atque hic Razi multas res ultimus inter Chaliſas præſtitit. Nam ultimus egregios fecit verſus: ultimus ſua ſolius auctoritate de exercitibus, & pecuniis diſpoſuit; ultimus concionatus eſt in ſuggeſtu die veneris &c.*

Solennis hæc in precibus publicis commemoratio in aliis quoque majoribus fanis omnium ditionum *Muſulmanicarum* pro regnante tantummodo Chaliſa fieri conſuevit, quoad in exteris provinciis *Taherus* conſuetudinem iſtam primus infringeret; unde paulo poſt eo deventum eſt, ut in ipſa Chaliſæ ſede, quin, eo etiam annuente, ſolennes iſtæ commemorationes pro aliis quoque haberentur. Cujus rei exemplum illuſtre a ſuperius jam laudato Chaliſa *Razi* petere licet, de quo *Abulfaragius* ad annum hegiræ tercenteſimum vigeſimum quartum hæc narrat: الجت الضرورة للراضي الي انّ قلد ابا بكر محمّد بن رايق امارة الجيش وجعله امير الامرا و ولاه الخراج و المعاون و الدّواوين في جميع البلاد و أمر انّ نخطب له علي جميع المنابر و بطلت الوزارة من ذلك الوقت فلم يكن الوزير ينظر في شيء من الامور انما كان رايق وكاتبه يظنران في الامور جميعا و كذلك كلّ من تولي امرة الامرا بعده صارت الاموال تحمل الي خزاينهم فيتصّرفون بها كما يريدون و يطلقون للخليفة ما يريدون *Impulit neceſſitas Razium, ut Abu Becrum Mohammedem, filium Rajeki, imperatorem exercitus crearet;*

crearet; eum ergo imperatorem conſtituens, vectigalibus, & tributis, & curiis per omnes regiones præfecit, juſſitque in omnibus ſuggeſtis nominis ejus in concionibus mentionem fieri, atque ab eo tempore irritum factum eſt Vezirii munus. Rajek ſiquidem, & illius ſcriba omnium rerum curam gerebant; eodemque modo, quicunque poſt ipſos imperatores imperatorum fiebant. Omnes pecuniæ in ipſorum gazophylacia importabantur, easque pro lubitu erogabant, & Chalifæ nihil aliud, quam quod ipſis viſum, relinquebant.

Hinc facile conjiciendum, halucinari eos, qui *Osmanidarum* Chalifas de hac Chaliſatus prærogativa, cujus haud interruptam, & inconcuſſam ſucceſſionem ſibi arrogant, nil quidquam remittere poſſe autumant, cujusmodi inter alia & illud eſt, ne ſuum in *Crimea* nomen in publicis precibus commemoretur.

Atque peracta, mortuis fieri ſolita, lotione.

Pag. 6. lin. 3. & ſeq.

Lotio, mortuis fieri ſolita, ut *cl. Relandus* in tractatu de *religione Mohammedanica* annotat, inter *lotiones neceſſarias* غسل آلواجب *ghuslūl-wāğib* refertur, quarum ſecundum traditionem *Perſarum* ſex ſunt numero, easque inter poſtrema, quæ mortui cadaver ante ſepulturam lavari præcipit. Apud *Mohammedanos* lotio iſthæc honoris cauſſa ab ipſis etiam viris principibus peragi ſolet, id, quod ſequentia *Abulfedæ* verba in *vita Mohammedis*, ubi hujus ſepultura deſcribitur, liquido comprobant: وكان الذي تولي غسله علي بن ابي طالب و آلعبّاس و آلفضل وقثم ابنا آلعبّاس و اسامة بن زيد و شقران مولي رسول آلله فكان آلعبّاس و ابناه يقلبون واسامة بن زيد و شقران يصبان آلماء و علي يغسله وعليه قميصه و هو يقول بابي انت وامي طبت حيا و ميتا ولم ير منه مايري من ميت *Qui curarunt ablutionem ejus, erant Ali, Abi Talebi filius, & Abbas cum duobus filiis ſuis Fasl, & Koſam: nec non Uſama, filius Zeidi, & Schukran, apoſtoli Dei ſervus. Abbas, & duo filii ejus verſabant illum. Uſama, Zeidi filius, & Schukran aquam fundebant. Ali autem abluebat eum, adhuc camiſia indutum. Dixit porro Ali: Tu mihi eſto patris mei,*

&

& matris meæ loco, ſuaviſſimum ſpirans odorem vivus, & mortuus. Neque vidit id, quod videri poteſt ex homine mortuo.

Similiter *Chaleſum*, ex *Soffaridarum* proſapia, filiorum ſuorum, licet violenta eos morte e vita expulerit, ablutionem ipſummet curaſſe, ex hac ipſa *Mirchondii* hiſtoria diſcitur. Is denique, qui hic loci de iſtis diſſerendi occaſionem præbuit, *Kelſum*, filius *Sabit*, id officii vivo ſibi ipſe præſtare voluit, quod, de proxima nece minime dubitans, illotum cadaver ſuum permanſurum metueret.

Pag. 6. lin. 3. & ſeq.

Fidei igitur confeſſionis dicta formula eo proceſſi.

Hic adeundus iterum *Relandi* de *religione Mohammedanica* tractatus, ubi de fidei profeſſione in libri primi cap. I. hæc leguntur: بني آلاسلام علي خمسة اركان شهادة انّ لا اله الاّ آللّه و انّ محمداً رسول آللّه و ايقام آلصلاة و ايتا آلزكوة و صوم رمضان وحجّ آلبيت ان استطاع اليه سبيلا فشهادة هو آلايمان *Nititur Islamiſmus quinque fundamentis, quorum primum eſt confeſſio de Deo, nimirum: Non eſſe Deum, niſi Deum illum verum, & Mohammedem ejus legatum eſſe; alterum, ſtata obſervatio precum, tertium, eleemoſynæ largitio, quartum, jejunium menſis Ramazani, quintum, peregrinatio Meccana ab unoquoque præſtanda, qui iter eo ſuſcipere poterit. Illa autem confeſſio eſt, quam nos vocamus fidem.* Et vero confeſſio iſta fidei *Muſulmanis*, recte credentibus, tum in vita ſæpius, tum potiſſimum in mortis articulo conſtitutis, facienda eſt; *Kelſum* igitur, filius *Sabit*, hanc recitando indicare voluit, quam manifeſtum ſibi vitæ periculum adeſſe cenſuerit.

Pag. 6. lin. 10. & ſeq.

Fama eſt Taherum, qui & ambidexter audit, poſtquam Mamuni nomen a publica oratione excluſiſſet.

Ab eo tempore, quo poſt everſum *Jezdegirdi* imperium, omnis, qua patet, *Perſia* imperio Chalifarum ſubdita erat, *Chorofanæ* gu-

nacula

bernacula ſemper præfecti tenebant, qui a Chalifa denominati in urbe *Herat* ſedem habebant. Id, quod ad *Mamuni* Chalifæ tempora obtinuit; namque *Raſchidius*, pater *Mamuni*, imperium anno hegiræ centeſimo octogeſimo ſexto inter filios dividens, eos *Perſicæ* tractus *Mamuno* filio in partem addixit; quod hæc *Elmacini* verba indicant: و قسم ٱلارض بين اولاده ٱلثلاثة محمد ٱلامين وعبد ٱللّه ٱلمأمون و ٱلقاسم ٱلموتمن فبايع لولده ٱلامين بولاية ٱلعهد وجعل له ٱلعراق و ٱلشام و بعده لعبد ٱللّه المأمون وضم اليه من همدان الي اقصي ٱلمشرق و بعده للقاسم ٱلموتمن و ولاه ٱلجزيرة و ٱلثغور و ٱلعواصم *Diſtribuit quoque imperium tribus filiis ſuis, Mohammedi ſcilicet Emino, Abdallah Mamuno, & Kaſimo Mutamano. Atque Eminum futurum ſibi ſucceſſorem conſtituit, eique Yrakam, & Syriam. Huic, voluit, ut ſuccederet Abdallah Mamun, cui conceſſit, quidquid ab Hamadana eſt, ad extremum uſque orientem; huic autem Kaſimus Mutamanus, quem præfecit Meſopotamiæ, Tſuguræ, & Awaſimæ.*

Mamunus itaque, uti ex hiſtoria præſente patet, Chalifa factus, atque ob excitatas in *Babylonia* turbas *Bagdadum* tranſire compulſus, primum *Choroſanæ* moderatorem *Ghaſanum* conſtituit, tum *Taherum*, qui inde ab eo tempore, quo, annuente Chalifa, *Choroſanæ* præfecturam adiit, omnem ſimul Chalifatus poteſtatem hic adeo labefactavit, ut hæc provincia proprios deinceps dominos ſemper haberet. *Taherò*, exercitui *Mamuni* adhucdum præfecto, ſupremum *Choroſanæ* imperium prædictum fuiſſe, *Emir Jahjai* in epitome ſua his verbis contendit: آورده اند كه وقتي كه مأمون طاهر ذو ٱليمينين را بجنك علي بن عيسي كه از جانب محمد أمين مي آيد فرستاد فضل بن سهل كه وزير مأمون و منجم بي نظير بود اورا بطريقي خجسته روان كرد و كفت لواي تو بطالعي بسته ام كه قريب شصت سال هيچكس آنرا نتواند كشود و چنين بود ازين وقت تازمان آل بني ليث صفار پنجاه و شش سال حكومت خراسان در دست طاهريان بود *Narrant eo tempore, quo Mamunus Taherum ambidextrum miſerat, ad debellandum Alium, filium Aiſa, qui ex parte Mohammed Emini cum exercitu appropinquabat, Fazlum, filium Soheil, Vezirium*

Mamu-

Mamuni, *celebremque aſtrologum bono cum omine hunc ducem expediviſſe*, *illique prædixiſſe*, *quod cum vexillo ejus tam bonum conjunxerit horoſcopium*, *ut ad ſexaginta circiter annos nullus hoc deſtruere poſſit. Et vero accidit etiam*, *ut ab illo inſtanti*, (*uſque dum dynaſtia Soffaridarum initium caperet*,) *per quinquaginta & ſex annos Choroſanæ imperium in manibus Taheridarum permaneret.*

Pag. 6. lin. 24.

Choroſanam is anno uno cum dimidio rexerat.

De tempore regni, ac de anno, quo mortuus eſt *Taherus*, non unus, idemque auctoribus ſenſus eſt: *Abulfeda*, ubi principium regni illius ad annum ducenteſimum quintum commemorat, aſſerens: *Taherum* a *Mamuno* toti orienti ab urbe *Bagdad* ad extimos uſque Moslemicæ ditionis fines præfectum fuiſſe, finem vitæ, & regni ejus ad annum ducenteſimum ſeptimum referens hiſce verbis explicat: *quinto menſe* (quod eveniſſet diebus menſis *Arabibus* جمادي الاوّل *ğemāzī ūl ewwel*) *obiit Taher*, *filius Huſein*, *ex febri*, *tempore peroportuno*, *antequam aut ſibi*, *aut Mamuno faceſſeret negotium; quod contigiſſet procul dubio, absque fati interceſſione. Nam in precibus, quas coetui fidelium die veneris noviſſimas præiverat*, *omiſerat Mamunum nominare*, *& vota pro illius incolumitate facere; quod id eum animo agitaſſe*, *ut principem imperio privaret*, *argumento eſt.* Ad eundem itidem annum *Elmacinus* mortem *Taheri* refert, inquiens: وفي سنة سبع و مايتي توفي طاهر بن حسين بمرو وكان المأمون قدّ ولاه خراسان قبل ذلك بسنتين *Anno ducenteſimo ſeptimo defunctus vita eſt Taherus*, *filius Huſeini*, *Marwæ: cum jam duo anni eſſent, quod Mamun eum præfeciſſet Choroſanæ.* *Hağī Chalfe* vero in *tabulis ſuis chronologicis* in eundem equidem annum *Taheri* mortem incidiſſe commemorat, quin tamen de tempore, quo regno is præfuit, quidquam indicet; quamquam idem ipſe auctor in altera tabula, ubi dynaſtiarum in terris *Moslemicis* ortum, & occaſum exhibet, de *Taheridarum* familia memoriæ prodat: آل طاهر بش نفردار ملك در هراة از خراسان تاريخ ظهور يوز طقسان بش تاريخ انقراض ايكي يوز اللي

سنة دورت آلتمش ملک مدّت طقوز اللي *Taheridarum familia quinque principes numerat, qui in Herat, Chorosanæ urbe, sedem tenuere; initium principatus ipsorum incidit in annum centesimum nonagesimum quintum, finis vero in annum ducentesimum quinquagesimum nonum. Duravit itaque imperium ipsorum sexaginta quatuor annos.* *Emir Jahjai*, epitomator *Persicus*, anno hegiræ ducentesimo septimo *Taherum* mortuum esse asserit; at enim, cum paulo inferius anno hegiræ ducentesimo quinquagesimo nono cum *Mohammede* regnum *Taheridarum* intercidisse referat, quod tamen, ipso quoque consentiente, per sex, & quinquaginta annos steterat, sane consequens est, *Taherum*, juxta eundem, supremum sibi *Chorosanæ* dominium anno hegiræ ducentesimo tertio arrogasse. *Mirchondius* nullum quidem, quo *Taherus* obierit, annum adjicit, verum ex primis sequentis sectionis verbis, ubi anno hegiræ ducentesimo nono, audita *Taheri* morte, *Taleham*, filium hujus, a *Mamuno* gubernandæ *Chorosanæ* præpositum fuisse, ait, suspicari licet, eundem annum hegiræ ducentesimum nonum simul annum mortis *Taheri* statuere illum voluisse.

Qui ad manus mihi sunt ex mea ipsius collectione duo codices manuscripti, eundem uterque annum affert, sed, cum ceteri omnes septimum assignent annum, non abs re, scribarum negligentia errorem hunc irrepsisse, conjici poterit, id quod vel ex punctorum mutatione accidere potuisse, nemo quisquam dubitabit. Quod autem varii varios statuant annos, queis *Taherus* imperio præfuerit, id inde proficisci, pronum est colligere, quod alii, uti *Hagi Chalfe*, initium cœpti a *Tahero* regiminis ab eo anno repetant, quo is exercitus imperator a *Mamuno* adversus *Eminum* renuntiatus est; quod ex iis, quæ ad annum hegiræ centesimum nonagesimum quintum *Hagi Chalfe* adducit, manifestum fit, ubi prælium prius, & relatam de *Emini* duce, *Ali*, victoriam exponit, dein demum, regimen auspicatum fuisse *Taherum*, subjungit. Quod quam falsum sit, quotve anni eam inter victoriam, & initum a *Tahero* imperium intercesserint, ipse relatæ hujus historiæ contextus exhibet.

Sunt alii, qui cum *Emir Jahjai* eodem, quo *Mamunus* e *Chorosana* discessit, anno regimen adiisse *Taherum* volunt; at minus

nus recte hos sentire vel ex eo colligitur, quod *Ghasanus* in gubernanda *Chorosana* absque omni dubio *Taherum* præcesserit. *Abulfaragius* denique, qui duos regiminis annos *Tahero* tribuit, rotundo hos numero computasse censendus est; cum contra *Mirchondius*, accuratione majori usus, annum cum sex mensibus, & quod excurrit, expresserit. His itaque collatis, rem ita se habere, putandum est, *Taherum* videlicet, ubi anno, & dimidio *Chorosanam* summo cum imperio obtinuisset, anni hegiræ ducentesimi septimi mense quinto ex febri diem supremum *Mervæ* obiisse, omneque *Taheridarum* regimen quinque supra quinquaginta annos cum aliquot mensibus perdurasse.

Pag. 6. lin. 27.

O! qui possides binas dexteras.

Aliam, cur ambidexter nominatus sit *Taherus*, caussam *Emir Jahjai* adjungit: و اورا ذوالیمنین بنا بر آن میکویند که چون با حضرت امام علي بن موسي الرضي بیعت میکرد کفت دست راست من به بیعت مأمون مشغولست و دست چپ با حضرت امام بیعت نمود الرضي جواب داد یساري که به بیعت امام مشغول شد آنرا نیز یمین توان کفت *Ambidextrum ob id vocaverunt, quoniam, dum reverendo antistiti, Ali, filio Musa, Razio homagium præstitisset, dixerat: dextera mea homagio Mamuni dicata est, nunc sinistram homagio reverendi antistitis devovi; ad quod Razius respondit: etiam sinistra, quæ antistitis homagio dicatur, dextera nominari potest.*

Ceterum ipse hic princeps *Taherus*, quod quidem a *Mirchondio* prætermissum est, a variis, iisque præstantibus animi dotibus commendatur, quas *Elmacinus* hunc in modum recenset: و كان اميراً جليلاً شجاعاً سخياً ذا راي و حزم و سياسة و له شعر من جملته

ملكت آلنّاس قسراً و اقتداراً و اهلكت آلجبابره اكبراً *

و وجهت آلخلافة نحو مروًا الي آلمأمون تدبر ابتداراً *

و قوله ايضاً

قتلت آلخليفة في داره * و انهبت بالسيف امواله

و يقال

و يقال انّ ٱلشّاعر امتداحه و هو راكب في ٱلحراقة في دجاه

عجيب لحراقة بن ٱلحسين كيف تعوم ولا تغرق ❊
و بحران من تحتها واحد واخر من فوقها مطبق ❊
واعجب من ذلك عيدانها و قدمها كيف لا تورق ❊

فقال طاهر اعطوه ثلثماية الف درهم و قال لو زدتنا زدناك

Hic imperator fuit bonus, fortis, liberalis, prudens, magnanimus, & boni regiminis. Carmina etiam fecit, quorum unum hoc est:

„ Rexi homines violenter, & potenter, & perdidi gigantes magnos
„ Ac misi Chalifatum Marwam versus ad Mamunum, qui occurrendo occurrit.

Dixit etiam:

„ Occidi Chalifam in domo sua,
„ Et diripui gladio opes ejus.

Ajunt quoque poetam eum celebrasse, cum navicula veheretur in Tigri:

„ Mirum est, quomodo navicula Huseini natet, & non submergatur;
„ Cum duorum fluviorum alter infra eam sit, alter superne eam opereat.
„ Sed magis eo mirandum est, quomodo ligna ejus, & trabes non frondescant.

Jussitque ei Taherus dari trecenta aureorum millia, dicens: si plus dedisses nobis, plus dedissemus tibi.

Relatis ad Mamunum de Taheri morte nuntiis, literas regias is ad Taleham miserat, queis Chorosanæ regimen curæ ipsius concredidit.

Pag. 7. lin. 2. & seq.

Nisi inter mortem *Taheri*, & inaugurationem *Talehæ* biennium intercessisse statuatur, minime dubium est, annum hegiræ ducentesi-

 mum

mum nonum, quo hic *Chorosanæ* imperium adiit, perperam assumi, quamquam ipsissimus hic annus in codicibus, quos binos me habere dixi ad manum, aperte assignetur. Sed plura de his, eaque uberius exposita pag. 72. & seq. invenies. Patri proxime *Taleham* in imperio successisse, *Emir Jahjai*, satis superque testatur, dum ait: طلحه بن طاهر بعد از پدر بحکم مأمون حاكم خراسان شد *Taleha, filius Taheri, post patrem, jussu Mamuni, gubernator Chorosanæ factus.*

Pag. 7. lin. 6. & seq. *Refertur Abdullahus Riccæ debellando Nasro, filio Schebibi, infensissimo Chalifæ hæretico occupatus fuisse.*

Racca, aut cum articulo *Arracca*, & apud *Turcas* passim *Ricca* duplicis est notionis: primo siquidem præfecturæ in *Mesopotamia*, اورفه *urfe* etiam dictæ, nomen est, ut sua in geographia *Hağí Chalfe* testatur, quæ ea, qua orientem respicit, parte *Mausulam* versus protenditur, ad occasum vero *Euphratis* litora, deinde ad meridiem desertum *Sengiar* attingit, contra septentrionem denique præfectura *Diarbekirensi* clauditur. Hæc provincia, *Osmanidarum* nunc temporis imperio subdita, a Passa primi ordinis regitur, milites feudatarios mille supra quadringentos ad expeditiones bellicas submittere solita.

Ad alteram quod *Riccæ* notionem attinet, hoc vocabulo & metropolis in ديار مضر *diār mozar*, ad orientale *Euphratis* litus sita compellatur, insigni quondam arce, quam Chalifa *Harunür-raschid* extruxerat, decorata, ut *Golius in notis ad Alfraganium* refert, nunc vero pristino suo splendore, juxta paulo ante laudati *Hağí Chalfe* sententiam, plane exuta; ita enim ille: رقّه دخي رافقـــه دينلور ديار مضردندر فرات جانب شمال شرقيسنده در مقدّما ديار مضرك قاعدهسيدر حالا خرابدر بساتين و فواكه انواعي چوقدر *Ricca, alias etiam Rafecca, est in ditione Diari Mozar ad Euphratem inter orientem, & septentrionem sita; olim ejusdem ditionis Diari Mozar metropolis, nunc ignobilis, & desertus locus, qui hortis, & varii generis fructibus abundat.*

Debel-

Debellando Nasro, filio Schebibi.

Pag. 7. lin. 6. & seq.

De hæretico isto, ejusque gestis, cum alii chronici vix quidquam commemorent, unus, isque jam sæpius celebratus *Hagi Chalfe* in suis *tabulis chronologicis* ad annum ducentesimum nonum hæc affert: جنک عبدالله بن طاهر و نصر بن شبیب و انکسار عبدالله *Bellum inter Abdullahum, filium Taher, & Nasrum, filium Schebib, in quo Abdullahus inferior discessit.*

Chalifæ infensissimo hæretico.

Pag. 7. lin. 6. & seq.

Fuit is ex illa secta, quæ *Charigiorum* compellatur, desumta nempe denominatione, a خوارج *chawarig* plurali participii activi خارج *charig*, quod *egrediens*, *exiens*, aut *a lege descissens* denotat. Hanc ex primariis schismaticorum sectis sextam ordine *Pocockius* in *specimine historiæ Arabum* recenset. *Scheristanus* vero hac definine utitur: كلّ من خرج علي الامام الحق الذي اتفقت الجماعة عليه يسمي خارجيًا سوا كان الخروج في ايام الصحابة علي الايمة الراشدين او كان بعدهم علي التابعين *Quicunque prodierit contra antistitem legitimum, qui consensu publico receptus est, appellatur Chærig, sive egressus fuerit tempore sociorum Mohammedis contra antistites illos orthodoxos* (id est, primos quatuor post *Mohammedem* Chalifas) *sive postea contra successores eorum.* Chalifatus itaque auctoritatem qui respuunt, *Charigii* nominantur.

Primos, qui hoc nomine insigniti sunt, eos *Pocockius* fuisse refert, qui post حرب صفين *harbi sæfin* i. e. *prælium Sefiense* ab *Ali* anno hegiræ trigesimo septimo defecere, constituto sibi duce *Abdullaho*, filio *Wahabi*. Hos postea periisse omnes, *Elmacinus* his verbis testatur: في سنة ثمان و ثلثين التقي علي و عبدالله بن وهب الراسبي و اصحابي الخوارج فقتلوا الجميع و لم يفلت منهم احد *Anno trigesimo octavo occurerunt Ali, & Abdallah, filius Wehabi, Arrasabiensis, cum sociis ejus Chæwarigiis, atque omnes occiderunt, ita, ut ne unus quidem evaderet.* Quam tamen stragem anno proxime præcedenti fuisse editam *Abulfeda* contendit: فقتلوا عن اخرهم

اخرهم و لم يقتل من اصحاب علي سوي سبعة انفس *Occisi sunt ad unum omnes, septem tantum e sociis Ali interfectis.* Idem *Abulfeda* sectæ hujus auctorem *Zul Chowaise*, de quo vaticinium *Mohammedis* habeatur, hisce verbis in vita *Mohammedis* statuit: و هو اول من يوبغ من الخوارج بالامامة و اول فارق من الدين *Atque is primus fuit ex Chæwariḡiis, qui fidem suam corrupit circa summi antistitis auctoritatem, ac proinde primus fuit, qui, schismate facto, a religione descivit.* Verum minime omnes *Chæriḡios* in eo, quod cum *Ali* gesserant, prælio cecidisse, quin nonnullos jam tum temporis in *Kermaniam*, & *Seḡestaniam*, atque alia dilapsos fuga fuisse loca, ex *Schahristanii* narratione palam fit, quæ sic habet: الا قاتلهم علي بالنهروان مقاتلة شديدة فلا انفلت منهم الا اقل من عشرة فاقتل من المسلمين اقل من عشرة فانهزم اثنان منهم الي عمان و اثنان الي كرمان و اثنان الي سجستان واثنان الي الجزيرة و واحد الي تل موزون باليمن و ظهرت بدع الخوارج في هذه المواضع منهم و بقيت الي اليوم *Acri eos certamine aggressus est Ali in Nahrawan, adeo, ut non evaderent ex ipsis, nisi pauciores decem, cum ex orthodoxis, qui occiderent, infra decem essent. Fugerunt autem ex iis duo in Ommanum, duo in Karmaniam, duo in Seḡestaniam, & duo in Ḡezire, unus autem ad Tel Maurum in Jemen, atque inde orta est Chæriḡiorum hæresis, quæ istis in locis ad hunc usque diem permansit.*

Pag. 7. lin. 7. & seq. *Refertur Abdullahus – – omnibus a Mamuno itidem provinciis, & regnis, quibus pater præerat, præfectus.*

Hanc *Abdullahi* proximam post patris mortem successionem minus probari posse, ex iis, quæ pag. 76. ex *Emir Jahjai* allata sunt, satis compertum est, queis id etiam adjungere licebit, *Abdullahum* eadem omnino tempestate, qua patris defuncti provinciæ a Chalifa curæ ipsius concreditæ fuisse perhibentur, *Ægypto* juxta *Elmacinum* præfuisse; ita enim ille ad ducentesimum decimum, & sequentes hegiræ annos: وفيها شخص عبدالله بن طاهر بن الحسين الي مصر فنزل بلبيس و اقام بها وفي سنة احدي عشرة و مايتي دخل عبدالله الهذ

آلمذكور الي مصر في شهر ربيع آلاوّل فولاها عبد بن ابراهيم و عزل عبد
آلله بن آلسّري وفي سنة اثنتي عشرة و مايتي ولا عبد آللّه بن طاهر آلحسين
امره مصر عيسي بن يزيد آلجلودي و عزل عنها عياد ——— وفي سنة
ثلث عشره و مايتي عزل آلمأمون عبد آللّه بن طاهر عن أمرة مصر و ولاها
اخاه آلمعتصم و اصاف اليه آلشام ايضا و ولا ابنه آلعباس آلجزيرة و
آلثّغور و آلعواصم و أمر لكل واحد من آلعباس و آلمعتصم و عبدآللّه
بن طاهر خمساية الف دينار و قيل انه لم يفرق من آلمال مثل ذلك
آليوم *Eodem quoque anno contendit Abdullah, filius Taheri, filii Huſeini in Ægyptum, deſcenditque Belbiſi, atque ibidem commoratus eſt. Anno ducenteſimo undecimo ingreſſus eſt jam memoratus Abdullahus in Ægyptum menſe Rabio priori, eique præfecit Ajadum, filium Ibrahimi, remoto Abdullah, filio Aſſarii. Anno autem ducenteſimo duodecimo præfecit Abdullah, filius Taheri, filii Huſeini, Ægypto Iſam, filium Jezidi, Ḡjeludæum, remoto Ajado. Anno ducenteſimo decimo tertio removit Mamum Abdullahum, filium Taheri, gubernatione Ægypti, præficiens ei fratrem ſuum Mutaſimum,* cui & *Syriam commiſit: filium autem ſuum Abbaſam præfecit Meſopotamiæ, Tſogouræ, & Awaſimæ, juſſitque ſingulis, Abbaſæ ſcilicet, Mutaſimo, & Abdullaho, filio Taheri, dari quadraginta aureorum millia, neque unquam dicitur tantum pecuniæ diſtribuiſſe, atque illo die.*

In provincia Siſtan.

Pag. 7. lin. 13.

Provincia سستان *siſtan*, quam vocem *Hāgi Chalfe* ex سجستان *segēſtan* contractam dicit, alio quoque nomine, quod verſus meridionales *Perſiæ* plagas ſita ſit, نيمروز *nīmrūz* compellata, a *Geographo Nubienſi* ſectione ſeptima, & octava ad clima tertium refertur, atque *Chorosanæ*, *Kermaniæ*, tum *Mekranæ*, & *Sindiæ* finibus circumſcribitur. Mons porro in hac provincia ad urbem *Ingek* occurrit unicus, trium paraſangarum altitudine; parte provinciæ reliqua ex planitie, & arenis, continuo vento agitatis, conſtante. Regio ceteroquin culta, ubi, ſecundum traditionem veterum, *Nerimani*,

rimani, *Kahrimani*, ejusdemque generis alii antiquæ *Perſidis* heroes ſedem fixerunt. Poſt ſuſceptum *Islamismum* Chaliſarum nomine a provinciæ gubernatoribus regebatur, fere continuis, quod pars incolarum potiſſima *Chærigiorum* ſectam, Chaliſis infeſtam, profiteretur, motibus turbata, quoad *Amru Leiſius*, uti in hiſtoria præſente paulo infra occurret, principatum occupans, ſummum Chaliſæ conſenſu iis in terris imperium obtineret; procedente tamen tempore hac cum aliis provinciis in antiquum *Perſiæ* regnum rurſus coaluit.

Hujus olim provinciæ metropolim *Ram* fuiſſe, nunc vero in hujus, ruinis utpote conſepultæ, locum urbem *Zereng̅* ſucceſſiſſe *Hag̅i Chalfe* auctor eſt; de fructibus itidem, & proventibus provincinciæ hæc ſubjiciens, eam cumprimis mala punica, tum uvas, atque dactilos optimi generis procreare, ſylphium item in pratis colligi, unde aſſa foetida producatur; incolas denique, quod infecta mula ſolum, & aer gignerent, felium loco echinos alere.

Pag. 7. lin. 16. & ſeq.

Anno ducenteſimo decimo tertio Taleha, morbo correptus, ad æternitatem tranſiit.

Ipſum hunc annum *Emir Jahjai* in *epitome ſua hiſtorica* indicat, quamquam in *tabulis chronologicis Hag̅i Chalfe* nulla neque de morte *Talehæ*, neque de ſucceſſoribus hujus *Taheridarum* familiæ mentio occurrat.

Pag. 7. lin. 19.

Commiſſo in terris Niſchaburi prælio.

Perſis نيشابور *nīśābūr Arabibus* نيسابور *nīsābūr* illuſtrioribus *Choroſanæ* urbibus annumerata, a *Naſſireddino* conſentiente etiam *Ulughbegio*, ſub longitudinis gradu 92. 30′, latitudinis vero gradu 36. 21′. ſita eſſe perhibetur. Sunt, qui urbis hujus primodia ab antiquiſſimo *Perſarum* monarcha *Tamuraſo*, nomen vero a *Sapore* repetant, monarcha item *Perſico*, qui ذو الأكتاف *z̤ūʼl-ek'tāf* i. e. *humeris præditus* dicebatur; urbis *niśabur* nomen ex نه *neh*, quod teſte *Hag̅i*

Hağî Chalfe in antiqua *Perſarum* lingua urbs ſignificat, & *ſapur*, quod alterius ſcilicet conditoris nomen eſt, componitur, ut adeo *Nîśâbûr* urbem *Saporis* denotet.

Per ſubterraneos porro ductus aquæ in urbem derivantur; celebres etiam lapidum, qui *turckini* dicuntur, venæ hic conſpiciuntur. Quondam ſedes *Chorofanæ* principum fuerat; quam a *Taheridis* in *Balch*, & *Merw* translatam, atque in hanc denuo urbem a *Soffaridis* reſtitutam eſſe, idem *Hağî Chalfe* in *opere geographico* memoriæ prodidit.

Ad reprimendos temerarios Babeki Hurremdini auſus. Pag. 8. lin. 1. & ſeq.

Fuit بابک خرّم ٱلدّين *bâbek hürremüddin* celeberrimus apud *Moslemos* ſui temporis hæreſiarcha, a quo ſectæ hujus aſſeclæ paſſim *Hurrimæi* vocabantur; de his *Mohammedes*, *ben Iſaac*, narrat: *quod ſecuti fuerint Babekium, qui dixerit obvio cuique ſe Deum eſſe, quique in religionem Hurrimæorum induxerit licentiam trucidandi, rapiendi, bello laceſſendi &c.* Geſta viri hujus uberius *Abulfaragius* hunc in modum exponit: و كان ابتدا خروج بابك سنة احدي و مايتين و هزم من جيوش ٱلسّلطان عدّة و قتل من قواده جماعة و دخل ٱلنّاس رعب شديد و هول عظيم و استعظموه و احتوي اليه ٱلقطاع و اصحاب ٱلفتن وتكاثفة جموعه حتي بلغ فرسانه عشرين الف سوي ٱلرّجالة و اخذ يمثل بالنّاس وكان اصحابه لا يدعون رجلاً ولا امراة ولا صبياً ولا طفلاً مسلماً او ذمّياً الّا قطعوه و قتلوه و احصي عدد قتلي بايديهم و كان ماتي الف وخمس وخمسين الف وخمسمايه انسان فلما انتدب ٱلافشين لحرب بابك قاومه ٱلافشين سنة و انهزم من بين يديه غير مرّة و عاوده وال ٱلامر الّا انّ انتحي بابك الي البذ مدينته فلما ضاق امره خرج هارباً و معه اهله الي بلاد ٱلرّوم في زيّ ٱلتجّر فعرفه سهل بن سنباط الارمني ٱلبطريق فاسره فافتدي نفسه منه بمال عظيم فلم يقبل منه و بعثه الي ٱلافشين بعدما ركب ٱلارمن من امّه و اخته و امراته الفاحشه بين يديه و كذا

كان

كان يفعل الملعون بالنّاس اذا اسرهم مع حرمهم وحمل الافشين بابك الي المعتصم وهو بسر من راي فأمر باحضار سياف بابك فحضر فأمره انّ يقطع يديه و رجليه فقطعها فسقط فأمر بذبحه و شقّ بطنه و انفذ رأسه الي خراسان وصلب بدنه بسامرا *Initium autem rebellionis Babeki fuit anno ducentesimo primo, qui multos regis exercitus profligavit, multosque e ducibus ipsius interfecit, adeo, ut gravis homines pavor invaderet, ac valde terrerentur, eumque magni facerent; congregatis autem ad ipsum latronibus, & hominibus seditiosis, creverunt copiæ ipsius, adeo, ut equitum ipsi essent viginti millia præter pedites: coepit etiam homines crudelibus afficere suppliciis, nec reliquerunt socii ipsius, virum, foeminam, puerum, vel infantem Mohammedanum, & fœdere iis conjunctum, quem non exciderent, ac trucidarent. Computatus eorum manibus interfectorum numerus erant homines ducenties quinquagies quinquies mille, & quingenti. Cum missus ad bellum ei inferendum Effchin per annum ipsum oppugnasset, plus semel ab eo in fugam versus, iterum eum aggressus est. Eo tandem res devenit, ut, cum se recepisset Babek ad urbem suam Elbez, tandem rebus ipsius afflictis, cum suis exiret, regionem Græcorum fuga petens, habitu mercatoris, Sahel, Ebni Sanbat, Armenus patritius, ipsum agnitum cæpit, cumque magna se pecuniæ summa redimere vellet, eam accipere noluit, sed ad Effchinum misit, postquam Armeni cum ipsius matre, sorore, & uxore coram ipso turpia patrassent; nam ita maledictus ille homines tractare solebat, cum eos cum necessariis suis captivos caperet; Effchin vero Babekum ad Al Motasemum, qui tum Sermenrajæ fuit, abduxit, Qui, Babeki carnifice accersiri jusso, ubi adesset, jussit ipsi manus, & pedes præcidere, quibus amputatis cum cecidisset, ipsum jugulari jussit, eique ventrem discindi, caputque ipsius Chorosanam misit, corpus Samarræ patibulo affixit.*

Babeki tamen progressiones retardasse aliquantum, dum huic negotio operam dabat, *Abdullahum*, ex iis apprime manifestum fit, quæ idem *Mirchondius* tomo tertio in vita *Mamuni* refert, ubi successibus hæresiarchæ hujus commemoratis, ita concludit : و بعد از رفتن عبدآلله بن طاهر مهم بابک حرمي قوي تركشت *Sed postquam Abdul-*

Abdullahus, *filius Taheri*, *difcefferat*, *nefandi Babeki res incrementum capiebant.* Ceterum *Abdullahum* anno ducentefimo decimo quarto in *Chorofanam* difceffiffe, *Abulfeda* his verbis innuit: *præficiebat Mamun Abdullahum*, *filium Taheri*, *Chorofanæ.*

In urbe Dinavar.

Pag. 8. lin. 4.

Urbs دینور *dīnūr*, vel *deinewar*, aut juxta *kamus*, & *Ibni Chalican*, *dinawar* in præcipuis *Yrakæ Perficæ* urbibus numeratur. Brevem, ac elegantem hujus defcriptionem ex *Hağī Chalfe opere geographico* hic attexere haud alienum erit: دینور سکسن ایکي بچق درجه طول اوتوز التي درجه عرضده همداندن اوج مرحله غرب و شماله بر بلدهٔ کبیرهدر میاه و ثماري چوق صحرالري بول اوجوزلق یر و خلقي اکراد درسلفده بوندن اوتوز سکز یوک درهم خراج آلنوردي بونکله همدان آراسي طاغلردر جنوبه و شماله ممتد اولور آرادة عقبه وار در اندان کچرلر ابن قتیبه و ابو حنیفه دینوري بو شهردندر *Dinawar fub* 82., *& medio longitudinis gradu*, *latitudinis vero* 36. *verfus urbem Hamadan trium dierum itinere inter occidentem*, *& feptentrionem confpicua urbs eft. Prata aquis*, *& frugibus abundant; hinc & levia funt rerum pretia. Incolarum pars plurima Curdæ funt. Antiquis temporibus tributum, quod inde accipiebatur*, *erat triginta octo Juk* (i. e. duarum crumenarum, quarum quælibet quingentos taleros appendit) *drachmarum. Hanc inter urbem*, *& Hamadan montes furgunt*, *qui inter occidentem*, *& feptentrionem fe extendunt. Eft via per juga montium ab incolis frequentata. Celebris ille hiftoriographus Ibni Koteiba*, *& legis Moslemicæ doctor Abu Hanife ab hac urbe originem fuam repetunt.*

Azizius quidam, Abdullahi olim mancipium, ad priora principis hujus fervitia ex Ægypto rediens.

Pag. 8. lin. 16. & feq.

Quo, & quanto tempore *Azizii* herus in *Ægypto* commoratus fuerit, fuperius pag. 78. pluribus expofitum eft. De ipfo autem *Azi-*

zio, præter id, quod præſens hiſtoria refert, nil quidquam conſtat. De *Ægypto*, cum tot, tantaque ab aliis jam memoriæ prodita ſint, pluribus hic differere, ſupervacaneum exiſtimo. Id tamen unum hic addidiſſe juvabit, *Ægyptum* a Chalifa *Omar* anno hegiræ decimo octavo expugnatam, inde ab eo tempore uſque ad Chalifatum *Mamuni*, de quo hic loci in præſente hiſtoria ſermo incidit, nunquam non Chalifis ſubditam fuiſſe.

Pag. 8. lin. 18.

Ubi ad urbem Kum veniſſet.

Eſt قم *kumm* urbs, *vel* oppidum *yrakæ Perſicæ*, quod longitudinis ſecundum *Naſſireddinum*, conſentiente etiam *Ulughbegio*, gradus 85. 40′. latitudinis vero 34. 45′. complectitur. *Golius* in *notis ad Alfraganium* advertit, hoc oppidum in campo, ad decem paraſangas in longum, latumque patente, medio fere loco *Kazwin* inter, & *Ispahan* ſitum eſſe; inde nempe triginta ſeptem, hinc triginta novem leucarum itinere, (uti *Olearius* obſervat) atque a *Raja* una, & viginti paraſangis abeſſe. *Kumm* inter, & *Rajam* deſertum interjacet, in quo ſtupendæ magnitudinis fabricæ, & munitiones caſtelli viſuntur.

Pag. 9. lin. 1.

Mamuni e vivis ſub hæc tempora ſublati.

Mamunus ab hiſtoricis omnibus anno ducenteſimo decimo octavo deceſſiſſe dicitur, de cujus morte ſequentia ex *Elmacino* adferre juverit: و فيها دخل المامون بلاد الرّوم من طرسوس يوم الاربعا لثلث عشرة ليلة بقيّت من جمادي الاخرة فنزل بالبدندون فمات بها يوم الخميس لاثنتي عشر ليلة بقيّت من شهر رجب بعد العصر و قيل بعد الظّهر *Eodem quoque anno Tarſo egreſſus, regionem Romanorum ingreſſus eſt Almamon die Mercurii, decima ſexta Giumadæ poſterioris, & ſubſtitit Badanduni, ubi & æger factus obiit, die Jovis decima nona menſis Regebi, circa veſperam, aut, ut alii volunt, poſt meridiem.*

Supremum diem Moatesimus obiit.

Pag. 9. lin. 7. & seq.

De anno, quo *Mirchondius* diem supremum *Moatesimum* obiisse dicit, eadem omnibus aliis, consentiensque opinio est. Præter ceteros *Elmacinus* de hujus morte ita differit: و في سنة سبع و عشرين و مايتي توفي المعتصم بالله بسر من راي قيل انه احتجم فحمّ فمات و ذلك لاثنتي عشرة ليلة بقيت من شهر ربيع الاول فكانت خلافته ثمان سنين و ثمانيه اشهر و ثمانية ايّام و كان عمره ثمان و اربعين سنة *Anno ducentesimo vigesimo septimo obiit Moatesimus Billah Samaræ, ajuntque, cum sanguis ei detractus esset, in febrim eum incidisse, & sic obiisse die decima octava Rabii prioris, cum imperasset octo annos, octo menses, & octo dies, & natus esset annos quadraginta octo.*

Anno ducentesimo trigesimo Abdullahus fatis concessit.

Pag. 9. lin. 22.

Quod ad annum, quo e vivis hic excessit, attinet, cum *Mirchondio*, *Emir Jahjai*, *Abulfeda*, & *Elmacinus* plane consentiunt, quorum postremus nonnulla, a *Mirchondio* prætermissa, eaque inter etiam hæc adjungit: و في سنة ثلاثين و مايتي توفي عبدالله بن طاهر بن الحسين وكان اميراً جليلاً فاضلاً عظيم القدر كريماً شجاعاً و ولي خراسان و مصر و الشّام و قصدوه العلما الشعراء و اهل الادب فاجازهم و اجزل صلاتهم و يقال انّه إذا توفي والده طاهر بن الحسين دخل عليه بعض الشّعرا فانشده

لولا التّسلي بعبدالده ما برحت تبكي علي طاهر منا العيون دماً ☼
ما مات من كان عبدالله ولده ولا تضعضع ركنا منه و انهد ماً ☼

Anno tricenrtesimo trigesimo vita excessit Abdullah, filius Taheri, filii Huseini: qui imperator fuit egregius, excellens, magnæ auctoritatis, honorabilis, & fortis: quique præfectus fuerat Chorosanæ, Ægypti, & Syriæ; & ad quem confluebant viri docti, eruditi, atque poetæ, qui-

 bus

bus munera dabat, & magna dona. Ajunt, cum pater ejus Taherus, filius Husseini, obiisset, ingressum ad eum poetam quendam dixisse:

Si consolationem non admitteret Abdullah, non desinerent oculi a nobis flere sanguinem.
Non moritur is, cujus Abdullah est filius, neque pars aliqua ejus destructione destruetur.

Id quoque hic loci haud prætereundum, per errorem annos *octo* in translatione præsente irrepsisse, cum tamen *Emir Jahjai*, & *Mirchondius* annis *septemdecim* in *Chorosana* regnasse *Abdullahum*, diserte affirment. Ceterum in *Husseini* libro, *mores proborum* inscripto, de singulari comitate, & animi demissione *Abdullahi* erga dicatas Deo personas hoc refertur: Accidit nempe, ut, dum *Chorosanæ* gubernacula capesseret, plebe omni *Nischuburiensi* ad eum salutandum conveniente, ex adstantibus quæreret, num, cujuscunque demum conditionis esset, foret quispiam, qui se salutare neglexisset? asserentibus, binos solummodo id officii prætermisisse monachos, *Ahmedem* videlicet *Farbi*, & *Mahmudum Eslemi*, homines, qui regum palatia devitantes, scientiis insuper divinis se se unice dedidissent; finite, reposuit, ut eosdem, cum id ipsi facere neglexerant, salutaturus accedam, moxque, conscenso equo, ad eos etiam adibat; quorum curiosiori agendi modo (uti fusius historia exhibet) minime commotus, ea præbuit, cum ipsis conversans, comitatis, & animi demissionis suæ specimina, ut, quanto in honore homines, Deo dicatos, haberet, abunde testatus sit.

Pag. 9. lin. 21.

Coëtus magorum.

Magi a *Persis* آتش پرست *ateś perest*, (quod proprie ignicola significat, vel etiam کبر *kebr*,) ab *Arabibus* autem مجوس *meğiūs* dicuntur; nomina iis, qui *Zoroastris* legem sequuntur, promiscue imponi solita. Quare & nostrum *magorum* nomen a dicta voce *Arabica* originem trahit.

Ipsi

Ipſi nihilominus, qui de myſtica pyroduliæ religione propiorem ſcientiam habent, diverſam huic nomini notionem ineſſe contendunt: in illa namque religione, quæ antiquior, a monarcha *Ḡemśid* primordia ſua repetit, magi & ſtellas, & ſolem, & reliqua quoque aſtra, queis divinum quid ineſſe credebant, ſupremo cultu proſequebantur; unde auctor libri معجزات فارسي *mo'ḡizāti fārsī* de prima *Perſarum* religione ita apud *Hyde* differit: فرس در قديم زمان بر دين صابية بودندي كواكب پرستيدندي تا زمان كشتاسب بن لهراسب *Perſæ antiquo tempore erant de religione Sabaitarum, ſtellas colentes uſque ad tempus Giuśtasp, filii Lohraſp.* Pyroclaſtæ contra, qui in perpetua ignis conſervatione divinum ſe ſpiritum colere opinabantur, *Giuśtaſpi* temporibus legem, & rationem cultus a *Zoroaſtre* edocti ſunt. Id quod jam ſæpe laudatus *Emir Jahjai*, ut ceteros, fuſius hac de re diſputantes omittam, his verbis teſtatur: زردشت پيشواي كبران بعهد او دعوت نبوّت كرد كشتاسب دين كبري پذيرفت و اهل ايران را ابرام نمود تا كبري اختيار نمودند و كشتاسب در اصطخر مقام كرفت و بزند خواندن مشغول شد و آتشكدها ساخت *Zoroaſter princeps ignicolarum tempore illius* (Giuśtapis) *prophetiam jactitavit, Giuśtapes hanc novam ignicolarum religionem amplexus, tantum apud Perſas inſtitit, uſque dum & ipſi hunc pyroduliæ cultum profiderentur. Conſedit etiam Giuśtaſpes in urbe Iſtæchar, lectionique librorum Zend tempus impendebat, nec non pyrea ædificari curavit.*

Hoc inſtitutum, curioſiori inveſtigatione haud indignum, jam priori ſeculo *cl. Hyde* ſingulari libro complexus eſt; noſtris vero temporibus, & felicius fortaſſe *Anquetilius.* Quam exoſa vero *Mohammedanis* iſta ſit religio, hi *Musladini Sadì* verſus, quos ſub *Roſarii ſui politici* initium exhibet; ſatis indicant:

اي كريمي كه از خزانهٔ غيب ❊ كبر و ترسا وظيفه خور داري
دوستان را كجا كني محروم ❊ توكه با دشمنان نظر داري

quorum ſenſum *cl. Gentius* ita interpretatur:

O bene-

O benefice Deus! qui ex thesauro recondito
Ignicolis, & simulacrorum cultoribus vitæ sustentationem præstas;
Amicos, quinam destituas
Tu, qui hostium curam geris?

Queis, & ridiculum illud *Persarum* de *Pyroclastis* proverbium hic loci subjicere non abs re fuerit:

اگر صد سال گبر آتش فروزد * اگر یکدم اندرو افتد بسوزد

Licet Pyroclasta per centum annos ignem accendat, si vel uno momento in eum incidat, aduritur.

Pag. 9. lin. 22.

Pyreum in urbe Herat.

Persis id آتشکده *āteśkede*, & آتشخانه *āteśchāne* dicitur locus nempe, ubi sacris suis operantur ignicolæ. Jactis a *Giuśtasp* primis fani hujusmodi fundamentis, ut paulo infra notabitur, in omnibus mox *Persidis* regionibus similia pyrea excitari coepta. Hinc etiam ab آذرابادگان *āzurābādegān* (quod illi ignicolarum delubro nomen erat, in quo antiquus ille *Persarum* rex خسرو کیکاوس *chosrew keïkāūs* diutius commorari solebat) eam provinciam, quæ nunc passim *Azerbeiğiana* nuncupatur, nomen suum traxisse, *Persicum* illud lexicon, in nova *Meninskiani* operis editione adhibitum, in voce اذرابادگان *āzurābedegān* testatur. Destructa jam equidem præpostero *Mohammedanorum* zelo posthæc fuere hæcce ædificia, ut id in *Heratensi* pyreo, quod *Abdullahi* tempore etiamnum extitit, evenisse novimus. Talis interea delubri descriptionem, *Anquetilius* in opere *de lege & cultu pyroduliæ exhibet.*

هراة *herāt* ex præcipuis *Chorosanæ* urbibus, secundrm *Golium, Nassireddinum,* & *Ulughbegium* gradus longitudinis 94. & 20′, latitudinis vero 34. & 30′. numerat; *Haği Chalfe* contra in suo opere geographico huic urbi 95. gradus cum 30′, atque latitudinis 34. & 30′.

30'. esse contendit. Idem auctor in urbis hujus descriptione, in planissimo illam loco explicatam, rivulis irriguam, plurimisque vineis, & hortis circumfusam esse, scribit, atque duabus abhinc parasangis calvum se se montem attollere, in quo pyreum, سرشك *sersek* dictum, extructum sit; ex hoc porro monte devolvi fluvios, per ipsam etiam urbem pervadentes, qui, urbi jamjam viciniores, in partes dissecti, totidem urbis vicos pervagentur. Molares denique lapides nigros ex montis hujus visceribus exsecari, commemorat. *Golius* in *notis ad Alfraganium* addit, urbem hanc a quodam بهلوان *behlevān* (nomen antiquis *Persidis* heroibus imponi solitum) نريمان *nerīmān* dicto, conditam, atque ab *Alexandro* restauratam postea, quin denuo exsuscitatam esse. Nullum item dubium esse posse, contendit idem *Golius*, quin hæc urbs veterum *Aria* sit, quam *Bactrianæ*, & succingenti eam monti conterminam *Strabo* libro undecimo optime descripserit. Ipsa enim provinciæ nomina conveniunt, sicut præterea *Ariam* amnis *Arius* dirimit, ita & urbem هراة *herāt*, sive هري *herī* fluvius هري رود *herī rūd*, ipso quoque nomine conspirante, interfluit; a borea demum hanc perflari, tanquam singulare quid *Marcellinus* libro vigesimo secundo animadvertit. *Ariam* urbem, ne quis fallatur, ab *Alexandria*, in *Ariis* constructa, diversam esse, *Ptolomæus* liquide demonstrat.

Id quoque addidisse hic loci haud nocuerit, *Mirchondii* hanc urbem patriam fuisse, cujus gratia singularem de fatis, & vicissitudinibus urbis hujus tractatum sub finem operis subjunxit, a quo porro natali suo loco هروي *hervī* i. e. *Heratensis*, vel, si mavis, *Ariensis* nuncupatur.

Peracto singulis annis censu.

Pag. 9. lin. 23.

Res nota est, ab ipso jam *Mohammede* sura nona, versu 30 in *Corano* cautum esse, ut ne iis, qui tributa solvunt, molestiæ quidpiam exhibeatur. Hinc *Relandus* etiam in sua *de jure militari Mohammedanorum, contra christianos bellum gerentium, dissertatione* in §. nono, & seq. animadvertit, *Christiano*, *Judæo*, & *Magorum*

rum sectatori Persæ, terras *Mohammedanorum* cum uxore, & liberis inter alia ea quoque lege incolere permissum esse, ut pro se vectigal in annos singulos pendat.

Pag. 9. lin. 26.

In vico Malan.

Oppidum مالان *mālān*, quod & مالين *mālīn* a *Golio* in *notis ad Alfraganium* scribitur, ditionis *Heratensis* est.

Pag. 10. lin. 23.

Nuntiata mox Abdullahi morte, Wasekius Chalifa filium ejus Taherum omnes provincias, queis parens præerat, regere, ac gubernare voluit.

Idem *Abulfeda* quoque ad annum ducentesimum trigesimum confirmat, ubi, significata *Abdullahi* morte, subjicit: *filio Tahero provinciam beneficiariam dabat Wasek.*

Pag. 11. lin. 3.

Ita bini post captum a Tahero gubernium elapsi anni, cum & ipse Wasekius naturæ debitum penderet.

Elmacinus Chalifam *Wasekium* anno ducentesimo trigesimo primo fatis concessisse, asserit; verum *Abulfeda*, *Hagi Chalfe*, & *Abulfaragius* sequenti id anno contigisse, consentiunt; id quod cum nostra etiam hic loci relata computandi ratione magis convenit. Atque *Abulfaragius* quidem & mortis diem & ipsam mortem his verbis exponit: وفي سنة اثنتين وثلثين ومايتين مات الواثق في ذي الحجة لست بقين منه وكانت علته الاستسقا فعولج بالاقعاد في تنور مسخن فوجد بذلك خفة فأمرهم من الغد بالزيادة في اسخانه ففعل ذلك وقعد فيه اكثر من اليوم الاول فحمي عليه فاخرج منه في محفة فمات فيها ولم يشعر بموته حتى ضرب وجه المحفة *Anno ducentesimo trigesimo secundo, obiit Wasek mense zu ülhigē sexto ante eum finito die. Morbus ipsius hydrops fuit, cui curando cum in hypocausto sederet, atque inde se allevatum sentiret, jussit die crastino calidiorem fieri, quod cum factum esset, atque ipse diutius in illo quam die præcedente*

te sedisset, febre correptus est, nemine mortuum sentiente, donec facies ipsius lecticam pulsaret.

Mohammedem, filium Abdullahi — — Mutewekilius exercitui praefectum in omnibus simul terris Moslemicis vicarium sibi substituit. Pag. 11. lin. 9. & seq.

Huic rei & *Elmacinus* sequentibus fidem addit: و في سنة سبع و ثلاثين و مايتي ولي المتوكل على الله محمدًا بن عبد الله بن طاهر بن الحسين الشرطة و اعمال السواد و خلافته ببغداد *Anno ducentesimo trigesimo septimo praefecit Mutewekilius ala Allah Mohammedem, filium Abdullahi, filii Taheri, filii Huseini, Sartae, & ditionibus Sawadae, & vicariatui suo Bagdadi.* Idem, hunc *Mohammedem* anno ducentesimo quinquagesimo tertio mortem obiisse memoriae prodidit: و فيها توفي محمد بن عبد الله بن طاهر ببغداد في ليلة الرابعة عشر من ذي القعدة و كان القمر قد كسف في تلك الليلة. *Eodem quoque anno obiit Mohammedes, filius Abdullahi, filii Taheri, Bagdadi nocte decimae quartae lunae zuülkaade, qua nocte luna eclipsin passa est.*

Ceterum *Mohammedem* istum, utut ab eo inde tempore, quo honoribus a *Mutewekilio* auctus est, hujus sese obsequiis devoveret adeo, ut teste *Elmacino* praeliis praeesset omnibus, quae anno hegirae ducentesimo quinquagesimo primo adversus *Motazum* gesserat *Mutewekilius*, sub finem tamen ab hoc defecisse, itemque auctorem fuisse, ut imperio abdicaretur, memoriae proditur.

Abu Bekrum, Omarum, & Aischam convitiis lacessitos esse. Pag. 11. lin. 14.

Tertium a *Mohammede* Chalifam *Osmanum* scribarum vitio hic desiderari existimo; qua eadem ratione & *Amru* in latina versione *Omari* loco irrepsit. Hos porro tres, *Abu Bekrum*, *Omarum*, & *Osmanum*, quos una cum *Ali* factionis *Suniticae* asseclae راشدين *rāšidīne* i. e. *ad viam rectam ducentes* vocant, maximoque secundum

 Mo-

Mohammedem honore profequuntur, inexpiabili odio ii deteftantur, qui *Schiitæ* paffim a *Turcis* compellantur.

Aifcham vero *Abu Bekri* filiam, & *Mohammedis* uxorem ea potiffimum de cauffa a nobili hoc *Bagdadenfi*, *Ayfa*, filio *Mohammedis*, convitiis petitam fufpicari licet, quod hæc mulier, fuperftite etiamnum in vivis *Mohammede*, dubiæ in maritum fidei infimularetur, adeo, ut ad fedandum is hunc rumorem *Corani* fui auctoritate, furata vigefima quarta, verfu 11. mendacii illos arguerit, qui hanc rem in vulgus fpargere non dubitarent. Hujus vero criminationis, & fufpicionis cauffam *Maraccius* in fuis ad laudatum *Corani* textum animadverfionibus, partim *Gangnier* in annotationibus fuper vitam *Mohammedis* capite quadragefimo tertio, ubi de *Aifchæ* accufatione mentio incidit, pluribus exponunt. *Mohammedani* interim tantum huic mulieri adhucdum deferunt, ut collectitia illa dicta *Mohammedis*, & traditiones, quas ab ea proficifci putant, fummi æftiment. *Aifcham* denique mortuo *Mohammedi* quinquaginta circiter annos fuperfuiffe, idem *Gangnier* in ejusdem libri capite decimo nono auctor eft.

Pag. 11. lin. 15.

Samirræ.

Urbs سامرا *sāmirrā* (quæ vox monente id *in notis Golio ad Alfraganium* ex سر من راى *fer men ræa* contracta eft) *Iracam* ad *Babyloniæ* pertinet, in orientali *Tigris* ripa fub gradu longitudinis 79. 30′, & latitudinis 34. a *Naffireddino*, & *Ulugh Begio* collocata. A Chalifa *Motafimo* ea de cauffa condebatur, quod fola *Bagdad* militem, quem numerofum admodum habebat, minus capere videretur, manfitque hæc Chalifarum regia ab anno hegiræ ducentefimo vigefimo feptimo ad annum hegiræ ducentefimum octogefimum, quo *Mutadid billah* eandem fedem *Bagdadum* reftituit. Ceterum amplam olim hanc civitatem vix pagi formam modo præ fe ferre, orientales geographi teftantur. *Hağı Chalfe* denique adjungit, eam duodecim horarum itinere ab urbe *Bagdad* diftare.

In

In Tigrim fluvium.

Pag. 11. lin. 18.

Tigris nobilis, & in ipsis sacris paginis celebratus fluvius, *Arabibus* nunc دجله *digle* dicitur; juxta *Curtium* autem libro quarto capite 9. a celeritate, qua defluit, nomen illi inditum est, quia *Persica* lingua *Tigrim* sagittam appellant. Hinc & *Castelius* in *dictionario suo Persico-Latino* fluvium *Tigrim* etiamnum تیر *tīr* dici testatum facit. Ad ejus originem quod attinet, refert *Golius* in *notis ad Alfraganium*, in septentrionali latere montis *Niphatis*, qui *Tauri* pars est, vastissimi hujus fluvii fontes extare; ex editiori dein loco, qui *Mesopotamiam* ab *Armenia* dividit, prope *Amidam* eum errumpere, perque varios anfractus decurrere, dum, cum *Euphrate* flumine conjunctus, in sinum *Persicum* se se exoneret.

Taherus — — reliquum vitæ tempus in regenda Chorosanæ provincia traduxit, dum sub Mustæini Chalifæ imperio mortem denique oppeteret.

Pag. 11. lin. 20.

Cum neque mortis annum, neque quantum temporis regno *Taherus* præfuerit, commemoret *Mirchondius*, pauca, quæ epitomator *Emir Jahjai* de *Tahero* memoriæ prodidit, hic adferre e re fuerit: طاهر بن عبدالله بن طاهر بعد از پدر بحکم واثق حکومت خراسان بدو تعلّق کرفت او نیز هشده سال حکومت کرد و در سنهٔ ثمان و اربعین و مائتین وفات یافت *Taherus, filius Abdullahi, filii Taheri, post patrem jussu Wasekii, principatum Chorosanæ obtinuit, cui ille octodecim etiam annis præfuit, annoque ducentesimo quadragesimo octavo mortuus est.*

Chalifa Mostæinus, Mohammedi, filio Taheri, gubernationem Chorosanæ demandat.

Pag. 11. lin. 25. & seq.

Mohammedi Gubernationem *Chorosanæ* anno hegiræ ducentesimo quadragesimo octavo demandatam esse, hisce *Abulfeda* perhibet:

Hic (Moftæiuns) *porro eodem anno Chorofanam fiduciariam dabat provinciam Mohammedi, filio Taheri*, (fecundi) *filii Abdallæ, filii Taheri*, (primi) *audito, ejus patrem Taherum provinciæ principem, ejus anni feptimo menfe obiiffe.*

Pag. 12. lin. 1.

Iracæ.

Provincia عراق *ỹrāk*, alio itidem nomine, ad diftinquendam *ỹrākam* aliam, quæ in *Perfide* eft, عراق عرب *ỹrākī ǎrab* compellari folita, eadem cum illa veterum *Affyria* eft; terræ nempe tractus juxta *Golium* in *notis ad Alfraganium* longe, lateque patens, qui *Abulfeda* & aliis geographis teftibus ab ortu خوزستان *chuzeftāna*, & بلاد آلجبل *bilādŭl-gebel* i. e. *Sufiana*, regione item montofa, quæ *Affyriæ*, & *Mediæ*, atque *Choromithrenæ* etiam parte conftat, terminatur; a feptentrione بلاد آلجزيرة *bilādŭl-gezīret*, *regionem infulanam*, i. e. *Mefopotamiam*, ab occafu hanc ipfam quoque, & آلبادية *elbādīet* i. e. *Defertum Arabiæ*, ab auftro denique partem itidem hujus, mare *Perficum*, & *Sufianæ* extrema contingit; quibus limitibus *Babyloniam* quoque *Ptolomæus* circumfcribit. Ad عراق *ỹrāk* porro quod attinet, eam *Golius* laudato loco proprie ما دنا من آلبحر *mā denā minel-bæhri* i. e. *quod prope mare*, vel *flumen eft*, notare afferit; unde & nomen aliud, nempe: استعرقت آلإبل *iftārakatil-iblu* i. e. *ad campum maritimum*, vel *fluvialem venerunt cameli*, vel *in eo pafcuntur*, defumtum fit. Et quoniam urbes binæ *Kufa*, & *Basra* cum adfitis terræ tractibus nobiliores totius *Yrakæ* partes haberentur, de literarum, aliarumque rerum gloria certantes, atque eodem tempore conditæ, ambas آلعراقان *elỹrākāni* i. e. *duas yrakas* nuncupari confueviffe, illam quidem, quod *Arabibus* vicina fit, magisque ab iis frequentari foleat, عراق آلعرب *ỹrākŭl-ǎrab* i. e. *Yrakam Arabum*, hanc vero, *Perfis* nempe proximiorem, عراق آلعجم *ỹrākŭl-ǎgem* i. e. *Yrakam Perfarum*; atque hinc آلعراقين *elỹrākeīn* fæpe numero idem omnino defignare, quod آلعراق *elỹrāk*, nempe *Babyloniam*.

Pag. 12. lin. 2.

Sacrarum Arabiæ civitatum.

Titulò iſto, qui *Arabice* ألحرمين *elhæramein* i. e. proprie *duas prohibitas* ſignificat, ſummæ venerationis ergo *Mecca*, & *Medina a Moslemis* decorantur; hæc ob ſepulchrum *Mohammedis* ſummo in honore hic loci habitum, illa vero ob templum illud antiquiſſimum, quod ab *Abrahamo*, & *Ismaele* conditum fuiſſe *Meccæ*, iidem *Mohammedani* contendunt. Unde & *Osmanidarum* monarchæ majori ſuo titulo & hunc خادم ألحرمين ألشّريفين *hādimül-hærameiniś-śerīfeinī* i. e. *ſervus duarum ſacrarum civitatum* adjungere conſuevere. Per *prohibitum* autem, vel *vetitum*, & *inviolabile* (idem quippe ألحرمة *elhæramet* ſignificat) azylum ſacrum intelligitur, omnibus eo confugientibus conceſſum. In his demum binis urbibus neque ſanguinem fundere, neque earum territorium alteri præter *Moslemum* accedere licitum.

Eſt autem *Mecca*, urbs in valle extructa, longitudinis 21. gradus cum duabus tertiis complexa, totidem ſcilicet, quot *Macorabæ* urbi, ut *Golius* advertit, *Ptolomæus* tribuit; a *Medina*, qua duplo major eſt, decem dierum itinere, a litore vero quadraginta milliaribus *Arabicis* diſſita, & undequaque montibus circumſepta. Urbs ceterum propter immenſum ex omnibus regionibus ad fanum illud antiquum confluentium *Moslemorum* numerum longe celeberrima; haud abſimili nomine بكّة *beket* i. e. *Becca* quoque urbs compellatur, licet plerique nomen iſtud loco ſacratiori magis peculiare eſſe velint. Nulla denique, ſi puteum زمزم *zemzem* excipias, in urbe aqua reperitur, præterquam, quae ex imbribus in ciſternis collecta aſſervatur.

Altera dictarum ſacrarum urbium مدينه *medīne* eſt, per antonomaſiam, propterea, quod *Mohammedis* corpus aſſervat, *urbs Arabibus* dicta, ſicut & *Roma* ſimpliciter *urbs* appellari conſuevit. Antiquius nomen يثرب *jasreb* eſt, quod & *Mohammedes* uſurpat, ubi trigeſima tertia *Alcorani* ſura, verſu 13. urbis incolas ita affatur: يا اهل يثرب *jā ehle jasribī* i. e. *o cives Jasrebæ!* quod *Beidavius*, in hunc locum commentatus, idem eſſe, contendit, ac ſi dixiſſet: *o cives Medinæ!* Eſt autem hæc, ut *Golius* aſſerit, regionis

nis حجاز *hegāz* urbs, mœnibus cincta, & sub 25. gradu cum uno quadrante longitudinis sita, sesqui altero demum gradu ab illo maris *Erythræi* litore disjuncta, quod portum efficit in oppido آلجار *elgār*, quod vetus illa *Ptolomæi Arga* esse videtur. *Arabici* geographi primos urbis hujus conditores *Amalecitas* fuisse volunt, in quibus tamen nonnulli, *Jasrebum*, filium *Kabjiæ*, filii *Mehlail*, filii *Eram*, filii *Sem*, filii *Noe*, primum eam incoluisse, suoque nomine compellasse afferunt. Urbis territorium planum, parteque potissima salsuginosum est, palmarum tamen, prope montes præcipue, ac frugum quarumdam ferax. *Mecca* profugus *Mohammedes*, amice hac in urbe receptus est, ubi annis aliquot subsistens, novam doctrinam publici juris fecit, legibus suis, sacrisque ritibus constitutis; arma denique hic loci cum comitibus, & asseclis suis cepit, unde انصار *anssār* i. e. *adjutores* urbis hujus incolæ dicebantur.

Pag. 12. lin. 6.

Tabaristanæ.

Tabaristanæ nomen ex *Arabicis* præcipue geographis innotuit; recentiores geographi *Persæ*, planiorem veteris *Tabaristanæ* partem designaturi, voce مازندران *māzanderān* utuntur; alteram vero, montibus refertam, قوهستان *kuhistān* appellant. *Tabaristan*, ut *Golius* eam describit, regio montosa est, non nisi silvis fere constrata, & fluminibus, ex editis locis in campos decurrentibus, rigata. Ab urbe قزوين *kazwīn*, in provincia *Fars* sita, in orientem, at declinando ad septentrionem exporrigitur; ab occidente planam كيلان *kīlān* ditionem, & montibus asperum ديلم *deīlem* tractum, & inde ab oriente قومس *kūms*, sive *kumisenam* attingit. Interior denique pars quædam ad septentrionem deflectens, atque montes inter in planitiem se se explicans, ad mare usque excurrit, unde mare *Arabibus* ab hac provincia *Tabaristanicum* dicitur, perinde, ut *Hyrcanum* olim a *Græcis*, & *Romanis* ab *Hyrcania* compellatum fuit; eandem enim cum *Hyrcania* veterum *Tabaristanam* esse, nemo dubitat. Sicut præterea, *Golio* teste, *Ptolomæus*, & *Strabo* totam a *Media* usque ad *Oxi* fluminis ostia diffusam regionem *Hyrcaniæ*

caniæ nomine complectuntur, ita & *Tabariſtanæ* notio ſæpius *Comiſſenam* quoque, & *Gurgianam* comprehendit.

Tabariſtanam vero *Perſis* dictum eſſe hunc terræ tractum, ait *Abulfeda*, quod is ناحية ٱلفاس *nahjetül-fās* i. e. *regio bipennaria* apud *Arabes* audiret; (طبر *taber* enim illis *bipennis*, qua arbores cæduntur, & استان *iſtān* locus, vel regio eſt) ſive, quod hic iter facientibus ad pandendam viam *bipennibus* opus ſit, ſive quod hoc inſtrumenti genus omnes propemodum incolæ, divites æque, ac pauperes, ut *Jakutus* ſcribit, armorum loco ſecum deferre conſueverint.

A pluribus item hiſtoricis طهمورث *tahmuras*, in antiquiſſimis *Perſicæ* monarchis tertius ordine, novas in hanc provinciam colonias deduxiſſe fertur, id quod præter *Taberium*, & notum epitomatorem *Emir Jahjai* his quoque verbis *Chondemirius* ſignificat: مرو و آمل و طبرستان و اصفهان را او بنا نهاد *urbes Meru*, *Amul*, *provinciam Tabariſtanam*, *&* *ispahanum*, *Perſicæ metropolim*, *ipſe* (Tahmuras) *ædificavit*, *&* *incolis implevit.* Hæc provincia complures viros, doctrina egregie excultos, protulit, in quibus apprime memorandus ابو جعفر محمد بن جرایر بن یزید بن خالد ٱلطبری *abū ḡiāfar mohammedes*, *filius ḡiorāīrii*, *filii jezīdi*, *filii chāledi*, *tabarida*, qui primos inter Moslemos rerum geſtarum omnium hiſtoriam, a multis poſthac laudatam, condidit.

Haſanus, *filius Zeidi*, *Alida.*

Pag. 12. lin. 8. & ſeq.

Chalifarum imperium, aliquanto jam temporis ſpatio variis motibus quaſſatum, ſub *Moſtæino* infenſiſſimi duo hoſtes, uterque ex familia *Ali*, filii *Abu Taleb*, generi *Mohammedis*, quaſi mutuam ſibi operam condicentes, uno, eodemque tempore aggreſſi ſunt: horum unus *Abul Huſein Jahja*, filius *Omari*, fuit, qui *Kufa* prodiens, Chalifatus dignitatem affectabat; ex ſucceſſoribus enim celebris illius *Tabataba* erat, a quo *Hagi Chalfe* eam dynaſtiam originem trahere dicit, cujus ſedes in urbe *Kufa* erat, & ex qua ſex viri per centum, & quadraginta quinque annos ad uſque tercenteſimum quadrageſimum quartum hegiræ annum in principatu ſibi invicem

fucceffere. Jam vero *Abul Hufein* ifte a *Mohammede*, filio *Abdullahi*, *Taherida*, prælio fufus, vitaque exutus eft.

Alter *Hafanus*, filius *Zeidi*, in *Tabariftana* caput extulit; huic quidem & alter e *Taheridarum* familia; *Suleimanus*, filius *Abdullahi*, Chalifæ juffu, arma opponebat, aft non eodem cum fratre fucceffu; potitus namque *Tabariftanæ* imperio *Hafanus* novemdecim omnino annis, eoque vita functo, frater illius itidem octodecim annis fummam rerum hic adminiftrabat, quin imo alios etiam ejusdem familiæ, novendecim numero, ordine fibi fuccedentes, dynaftiam conftituiffe, *Hagi Chalfe* afferit, quæ ducentefimo quinquagefimo anno coepta, non nifi poft quingentorum annorum decurfum, anno fcilicet octingentefimo quadragefimo deftiterit. Nullam tamen de continuato hujus dynaftiæ profpero fucceffu mentionem inferens *Elmacinus*, hæc tantum ad annum hegiræ ducentefimum quinquagefimum primum de *Hafano* refert : وفي هذه ٱلسّنة غلب طبرستان ٱلحسن بن زيد بن محمّد بن اسمعيل من ولد علي بن ابي طالب و جرت بينه بين سليمان بن عبدٱللّه عامل محمّد بن عبدٱللّه بن طاهر حروب اخرها انّ سليمان غلب علي طبرستان و هرب ٱلحسن الي ٱلدّيلم *Eodem anno Tabariftanam occupavit Hafenus, filius Zeidi, filii Mohammedis, filii Ismaelis, ex pofteris Ali, filii Abutalibis : multisque ab eo, & Suleimano, filio Abdullahi, præfecto Mohammedis, filii Taheri, filii Abdullahi, commiffis præliis, tandem Suleiman cepit Tabariftanam, & Hafenus fugit in Deilamam.*

Alida nomen *Hafano* gentile erat : *Alidarum* vero hæc familia a primis jam Chalifatus incunabulis infeftiffime a Chalifis diffidebat, propterea, quod, e medio fublato *Ali*, hujus filio *Hafano* Moslemorum principatus, qui fucceffionis jure ipfi competebat, a *Moawio* eriperetur, quodque graviffimis infuper convitiis *Alidarum* domus in publicis precibus impeteretur; qui mos ufque ad *Omari*, filii *Abdulazizi*, decimi quinti Chalifæ tempora obtinuit. Felicior his *Alidis*, imperium obtinente *Mamuno*, fors obtigit, cum ipfe Chalifa *Alium*, filium *Mufa*, obfiftentibus nequidquam regni optimatibus, fœderis focium, & fucceſſorem fibi adoptavit; cujus rei rationem *Mirchondius* tomo tertio in vita *Mamuni* exponit,

ubi

ubi Chalifam ipfum hac fuper electione cum Vezirio fuo *Fazlo*, filio *Sohelii*, ita differentem inducit: در هر شهري يكي از اولاد علي دعوي خلافت ميكنند و مردم متابعت ايشان كرده هرج و مرج بديار عرب راه يافته است تدبير اين فتنه بايد كرد پيش از آن كه كار از دست برود بعد از تقديم امر مشاورت رأيهاي برآن قرار كرفت كه مأمون شخصي را از جمله سادات كه بعلم و دانش و زهد و ورع سر آمد آفرينش باشد ولي عهد كرداند تا علويان بقدم تسليم و ادعان پيش آمده ديكر هيچ فتنه ننمايند و بعد از تأمل وتدبير قرعهء اختيار بر نام نامي و اسم سامي امام عليمقام امام علي بن موسي الرضي عليه الصلوة و السلم افتاد كه اقاصي و اداني بفضل وتقدم او اعتراف داشتند *Ferme in unaquaque civitate ex Alidarum familia unus exiſtit, Chalifatui inhians, atque ſuam ſibi propriam factionem procurans; unde omnis propemodum Arabia in partes ſciſſa eſt; igitur conſilium ante inire juverit, quam malum invaleſcat. Re diverſimode diſcuſſa, id demum ratum habebatur, ut Mamunus virum de gente Alidarum, qui ſcientia, doctrina, continentia, vitaque proba reliquos antecelleret, ſibi fœderis ſocium deligeret, hacque ratione Alidarum turbas compeſceret. His demum perpenſis, ſors ſupra Alium, filium Muſa, cecidit, quem primores æque, ac inferiores præ reliquis dignum cenſuere.* Quamquam hoc pacto *Alidarum* auctoritas aliquanto temporis ſpatio invaleſceret, poſterioribus tamen temporibus, ut *Hottingerus* in *hiſt. orient.* libro ſecundo capite 7. obſervat, vix ullo loco fuiſſe, videtur, dum demum graſſante *Timurio*, جنيد *giuneid* quidam, auſteræ vitæ monachus magno honoris molimine tantam rurſus familiæ *Ali* dignitatem peperit, ut poſtrema regni *Perſici* dynaſtia, his noſtris temporibus a *Nadir Schahio* everſa, ſuam inde originem ſe ſe repetere, prædicaret. *Alidarum* porro aſſeclis diverſam ab aliis *Mohammedanis* ſacrorum rituum adminiſtrationem eſſe, binæ illæ *Schiitarum*, & *Sunitarum* ſectæ, inde oriundæ, ſatis, ſuperque indicant.

Ghila-

Pag. 12. lin. 10. & seq.

Ghilani, & *Deilemi urbes in potestatem redegit.*

Ghilani, & *Deilemi* regiones, notante *Nassireddino* sub climate quarto sitas, *Tabaristanam* proxime contingere, ex iis, quæ pagina 96. allata sunt, satis, superque patet. Referente *Golio*, universa illa planities inter montes *Deilem*, & mare *Caspium* interjacens, *Persis* كيلان *kīlān*, *Arabibus* vero جيلان *gīlān* dicitur, ob differentes nempe montium *Deilemi* situs, flexusque latitudine inæquali. Quare inferiorem hanc, planamque partem *Kileorum*, quos *Ptolomæus Gelos* vocat, continuam mari *Caspio* regionem esse, nemo quisquam dubitaverit. Maximam ditionis hujus latitudinem duarum dierum itinere definiri, *Hağı Chalfe* in *suo opere geographico* commemorat. Incolæ juxta eundem auctorem levis ingenii, macie extenuati, & sordidi sunt; lingua insuper propria, neque *Arabicæ*, neque *Persicæ* cognata, utentes. Urbes similiter, præ ceteris conspicuæ, non nisi duodecim hic numerantur. Regionis hujus, quam asperi, & silvis constrati montes cingunt, prata aquis abundant, quod maxima anni parte pluvia irrigetur. Oryza itidem, & aves plurima parte incolarum nutrimentum sunt. *Ghīlān* ceterum bifariam dividitur, cujus una pars cum terris, eo pertinentibus, لاهجان *lahiğān*, altera vero cum suis pariter tractibus رشت *rest*, & فومن *fūmen* compellatur.

Deilem, quam *Persæ* ديلم *dīlem* dicunt, secundum *Golium* regio ampla, & potiori sui parte montosa est, quam ab ortu *Tabaristana*, & pars anterior ditionis *Rejæ*, a meridie ejusdem *Rejæ* pars altera, itemque *Kazwini* tractus cum *Aderbeğiana* terminat, quæ & alia sui parte eandem ab occasu cingit, a septentrione denique ejus terminum mare *Hyrcanum* statuunt aliqui, ita, ut hoc pacto utramque regionis *Deilemiticæ* partem comprehendant, montosam nimirum illam, quæ proprie *Deilem* dicitur, atque planam alteram, peculiari nomine *Ghilān* compellatam, hac eadem pagina paulo ante descripta est. Ipsum porro *Deilem* vocabulum prioribus temporibus populi cujusdam fuisse nomen, unde stationes, ab eo inhabitatæ, *Deilem* denominatæ sint, sequentibus *Hağı Chalfe* perhibet: اسم سالفدن بر جيلك يعني قبايلك اسميدر كه منزللرينه اول قومك اسمي علم اولمشدر

Deile-

Deilemidas a *Procopio* libro quarto hiſtoriæ *Gothicæ* nuncupari *Dolomitas*, hic quoque loci animadvertendum. Aſperos demum, & arduos, aquis quoque, ac ſilvis refertos eſſe *Deilemi* montes, geographi orientales teſtantur, id quod ea potiſſimum parte intelligas, quæ *Tabariſtanam* inter, & *Kazwinum* mare reſpicit. Ceterum omnia fere regionis hujus oppida montibus inſident.

Rejam — — ſe recipere cogebatur.

Pag. 12. lin. 12. & ſeq.

Reja, ſeu ري *reji*, urbs, & ditio in provincia *Yrakæ Perſicæ*, ſecundum *Hagi Chalfe* ſub gradu longitudinis 87, latitudinis 35. & 53′ ſita, ampliſſimi olim ambitus extitit, a *Huſchengio*, monarcha juxta ac legislatore *Perſarum* antiquiſſimo, condita, a *Menugehro* autem, antiquo item monarcha, amplificata. Urbem iſtam *Mohammedes Mahadius*, iis in partibus, antequam Chalifa ſalutaretur, præfecti munere functus, ædificiis plurimis exornarat, adeo, ut ob incolarum, & advenarum frequentiam nulli omnino urbium iis temporibus, demto *Bagdado*, concederet. Sed enim *Gengiſchani* tempore triſte id fatum ſubiit, ut omni ſui parte diruta, nobilioribus quoque civibus, quos, 700000 numero, *Scheichius Negmeddinus* interemtos fuiſſe aſſerit, ſpoliaretur. Incolis licet *Ghazan Chani* tempore nonnihil auctis, ad priſtinum tamen ſplendorem neutiquam perveniebat; ſiquidem, cum, ſubortis bellis civilibus, ſe ſe mutuo incolæ interimerent, diu quietæ eſſe urbi minime licuit.

Bini, quorum celebriori *Muſa* nomen, civitatem iſtam fluvii dirimunt. Ditioni porro urbis hujus præcipui ex goſſipio proventus ſunt, quamvis & optimis omnis generis fructibus, in quibus pepones æque, ac melones, mala item punica, & perſica cum pyris, pomisque numeres, abundet adeo, ut iis præſtantiores haud facile reperias. Ut in geographico *Hagi Chalfe* opere videre licet.

Pag. 12. lin. 15. & seq. *Hinc superstites sibi dies in otio transigebat Suleimanus ad annum ducentesimum quinquagesimum tertium, quo vita functus est.*

De hoc, si ea, quæ *Mirchondius* narrat, excipias, ex historicis reliquis nil quidquam innotescit; quamquam *Abulfeda*, itemque *Elmacinus* mortem *Mohammedis*, filii *Abdullahi*, fratrisque *Suleimani*, ad ipsum hunc ducentesimum quinquagesimum tertium annum referant, in cujus rei testimonium prioris auctoris verba (posterioris enim jam pagina 91. adducta sunt) hic adjecisse juverit: *Eodem* (anno nempe ducentesimo quinquagesimo tertio) *obiit Mohammed, filius Abdullahi, filii Taheri,* (primi) *filii Huseini.*

Pag. 12. lin. 19. & seq. *Jacub, filius Leisii, — — pluribus subactis Chorosanæ oppidis, exercitum recta urbem Herat versus duxit.*

Primam *Jacubi*, filii *Leisii* in *Chorosanam* irruptionem ducentesimo quinquagesimo tertio anno evenisse *chronologicæ* itidem *Hağī Chalfe tabulæ* hisce comprobant: استیلاء یعقوب صفاري بر خراسان *Jacubus Soffarida Chorosanam expugnat.* Cujus familiæ uberiorem hoc loco mentionem facere, vel ex eo supervacaneum fuerit, quod fusior alioqui de gestis ipsius in proxime sequenti dynastia sermo occurrat.

Pag. 12. lin. 22. & seq. *Urbem ipsam Kuseng̃.*

Hoc nomine is terræ tractus cum urbe non ignobili intelligitur, qui *Heratiensi* alias territorio accenseri solet. Urbis ipsius diversa esse nomina, *Hağī Chalfe* testis est, qui inter alia, & sequentia de hac urbe exaravit: بلاد خراسان در پشنک بن افراسیاب بنا اتمکله شهر پشنک دیرلردي صکره تعریب ایدوب شهر فشنج دیدیلر کیده‌رک فوشنج ایله شهرت بولدي بعضلر انک بانیسي هوشنکدر دیدیلر *Urbs Chorosanæ est, quam, quoniam eam filius Afrāsīābi ædificarat, urbem Puśenk dixere; postea mutato paululum nomine urbem Kuśeng̃ nominarunt.* Succes-

Successu temporis sub nomine Fūśenḡ inclaruit. Nonnulli urbis hujus conditorem fuisse Huśenkium asserunt; notum nempe jam inter antiquos *Persiæ* monarcham. Idem præterea *Haḡi Chalfe*, urbem hanc, si longitudinem spectes, sub 95, si latitudinem, sub 34. gradu esse, scribit; juxta eundem ab urbe *Herat* occidentem inter, & septentrionem quinque parasangis distans, in planum patet, hortisque, & aquis abundat. Flumen item ab urbe *Herat* nomen habet, muro denique, fossaque cingitur, ita, ut ad eam per tres solummodo portas accessus pateat.

Ad ipsam hujus urbis regionem quod attinet, omni frugum, & fructuum genere ea abundat, atque ab uvarum præprimis varietate celebratur adeo, ut ad centena ibidem uvarum genera numerentur. Hic vetustum quoque ædificium ab *Abrahamo*, uti fama fert, extructum conspicitur, quo *Heratensis* populus, Numini supplicaturus, quot annis confluit. De hoc fano rem sane lepidam, & miram afferunt, evenire videlicet, ut, si vir, in publico munere constitutus, peregrinatione hac sacra fungatur, is procul dubio officio suo excidat; fieri inde, ut viri, magistratibus conspicui, nunquam ad locum istum iter suspiciant. Haud procul inde mons denique visitur, in cujus summitate vestigia reperias, quæ ab *Abrahamo* impressa, pariter perhibentur.

Anno ducentesimo quinquagesimo septimo Hasan quoque, filius Zeidi, Alida, Giorḡiam armata sibi manu vendicavit.

Pag. 12. lin. 26. & seq.

Id ipsum & *Haḡi Chalfe* commemorat: استيلاء داعي كبير بـــر جرجان *Magnus ille prætendens occupat Giorḡianam.* In eandem denique sententiam & *Abulfeda* hisce verbis concedit: *Eodem* (anno nempe ducentesimo quinquagesimo septimo) *suscipiebat Alida, Tabaristanæ dominus, Hasan, filius Zeidi, expeditionem adversus Giorḡianam, eamque subigebat.*

جـرجان *ḡiorḡian* primarium cognominis, & separatæ provinciæ oppidum quod, ad *Tabaristanam* aliqui, alii ad *Charezmiam*, nonnulli denique ad *Chorosanam* referunt, cum singulis

finiti-

finitimum ſit. De hoc oppido in deſcriptione *Charezmiæ* hunc in modum *Abulfeda* diſſerit : و كركانج الصّغري في مدينة قريبة من كركانج الكبري و بينهما عشرة اميال و العرب يسمونها الجرجانيه و في غـــربي جيحون *kurkāng̃ minor; intervallum decem milliarium. Arabibus nominatur Elg̃iorg̃iania, eſtque in occidentali latere Oxi fluvii.* Hujus oppidi, aut civitatis longitudinem 84. graduum, & 5′. latitudinem vero 45. graduum eſſe, idem auctor aſſerit, quam tamen *Hag̃i Chalfe* in *opere ſuo geographico* ſub longitudinis gradu 90., latitudinis 39. ſitam eſſe contendit, ſubjiciens : eandem hanc urbem, cui pariter *kurkang̃* nomen tribuit, ſeptem تومانات *tūmēnāt* i. e. *nomis,* ſeu *ditionibus Mazanderanæ* adnumerari, itemque ſedem eſſe regiam.

G̃iorg̃iana ceterum ob aerem minus ſalubrem paſſim *Choroſanorum* ſepulcrum eſſe, perhibetur; ubi tamen, quod ſingulare eſt, tanta celeritate creſcunt arbores, ut unius anni curriculo in eam altitudinem exſurgant, ad quam decem omnino annorum ſpatium alibi locorum requiratur. Ob aeris porro æſtum goſſipium æque, ac ſericum maxima copia in eadem provincia procreatur. Hujus provinciæ incolæ in communi illa *Perſidis* devaſtatione, *Mogulenſium* tempore, ad unum omnes periere; qui eam hodiedum incolunt, ut plurimum *Schiitæ* ſunt.

Pag. 14. lin. 6. & ſeq. *Jacubus, quæ ſibi mandata eſſent, ſignificans, exemto e vagina gladio, hunc diploma, ait, mihi eſſe ſcito.*

Hiſtoria hæc nota adeo, & conteſtata eſt, ut eandem ipſis plane his verbis & *Emir Jahjai* in ſuam epitomen retulerit. *Niſchaburum* anno iſto ſub ſuam poteſtatem redegiſſe *Jacubum*, filium *Leiſii*, teſtatur *Abulfeda*, itemque *Elmacinus*, cujus verba, utpote planiora, hoc loco adducere, non abs re fuerit: و في سنة تسع و خمسين و مايتي دخل يعقوب بن الليث الصفّار نيسابور و كان قد تغلب بتلك الناحية و حبس محمّد ابن طاهر بن الحسين و اهل بيته و قبض عليهم *Anno ducenteſimo quinquageſimo nono ingreſſus eſt Jacubus*

cubus, filius Leifii, Soffarida, Nifchaburum; cum potitus jam rerum effet in illis partibus, & Mohammedem, filium Taheri, filium Hufeini, in carcerem conjecit cum domefticis ejus, delicias eorum capiens. Ex quibus ipfe pariter annus, quo *Taheridarum* dynaftia interiit, quemque addere neglexit *Mirchondius*, innotefcit. Narrationi *Elmacini* etiam *Hagi Chalfe* ad eundem annum ducentefimum quinquagefimum nonum fuffragatur: و انقراض آل طاهر درخراسان باستيلاء يعقوب بن ليث صفّار *Dum Jacubus, filius Leifii, Chorofanam occupat, Taheridarum familia regnandi finem facit.* Quam familiam *Emir Jahjai*, ubi annum, quo hæc regnandi finem fecerat, commemorat, cumprimis a peculiaribus quoque animi dotibus, queis inclarefcebat, hifce verbis commendat: در سنهٔ تسع و خمسين و مايتين يعقوب ليث محمّد بن طاهررا بصد و شصد نفر از اقارب و عشاير او بگرفت و بسيستان فرستاد و دولت طاهريّان در خراسان بسر آمد و ايشان همه پادشاهان عادل كريم هنر پرور بودند خراسان در ايّام حكومت اين طبقه در نهايت معموري و ابادانى بود *Anno ducentefimo quinquagefimo nono Jacub Leifius, Soffarida, Mohammedem, filium Taheri, una cum centum, & fexaginta affinibus, & confanquineis captum, in Siftaniam transmifit, qua ratione Taheridarum in Chorofana principatus ad finem pervenit. Et vero finguli hi principes a juftitia, benignitate, & quod plurimum virtutem coluerint, commendantur. Ipfa denique Chorofana, tempore, quo hæc dynaftia extitit, majorem in modum fuit culta, & incolis aucta.*

Inter alia liberalitatis, & munificentiæ fpecimina, a Mohammede, filio Taheri, edita, & hoc eft. Pag. 14. lin. 21. & feq.

Similem fere hiftoriam, mutatis folummodo nominibus, in libro, عجايب مآثر *ăgāībi meefer* i. e. *facinora mirabilia* infcripto, reperire eft, quam *cl. Cardonne*, in *Gallicum* idioma verfam, fuæ literaturæ orientalis collectioni inferuit. Ceterum frequentes hujus materiæ hiftoriolas in *Mirchondio* occurrere, annotaffe hoc loco fufficiat.

AD DYNASTIAM SOFFARIDARUM.

Pag. 17. lin. 2. & seq. *De fatis familiæ Leis, quæ apud historicos Soffaridarum nomine celebris est.*

Dynastiæ hujus rara æque, ac prioris apud historicos mentio occurrit, quod nonnulli ambas beneficiariis Chalifarum provinciis adnumerent. Verum minus id recte fieri, vel ex *Mirchondio* manifestum fit, qui, quanta hujus etiam dynastiæ principes auctoritate polluerint, quamve exiguo studio Chalifarum mandatis obsecundaverint, in narratione sua sæpenumero testatum facit.

Nomen dynastiæ hujus *Soffaridarum* est, quod a ليث *leis*, auctore familiæ, mutuata est, صفّار *soffar* i. e. *faber ærarius* dicto, itemque artem ærariam professo; cui & *Jacubus*, ejusdem filius, sub initium operam dabat. Id enim, si antiquiorem quoque historiam consulimus, singulare *Persiæ* fatum fuerat, quod saluti non minus, ac auctoritati suæ per opifices prospicere cogeretur; siquidem ex vetustissimorum *Persiæ* monarcharum historia constat, *Persiæ* regnum a *Zohaki* tyrannide, qua vir hic, sui temporis ferocissimus, illud oppressum ibat, *Kjawi*, fabri ferrarii, opera liberatum, atque legitimo hæredi, *Feriduno*, filio *Gemsidis*, restitutum fuisse. Unde factum, ut ob rei tam singularis memoriam posteri monarchæ *Persiæ* perizonio viri hujus, ex corio confecto, pro vexillo uterentur.

Pag. 17. lin. 5. & seq. *Leisio, patri Jacubi, — — tres fuere filii.*

Diffusam equidem gestorum, quæ ad *Leisii* sobolem attinent, historiam *Mirchondius* contexuit, quin tamen aut initium, quo familia hæc regnare cœperat, aut finem, quo desierat, annotet. Qua in re cum *Emir Jahjai* quoque, & *Hagi Chalfe* ab invicem dissentiant, utriusque sententiam exponere necesse fuerit, præmissa, quo res clarior fiat, familiæ hujus tabula genealogica:

Leisius

Leiſius
faber ærarius
Auctor dynaſtiæ *Soffaridarum*

I.
Jacubus
Capto *Mohammede*, filio *Taheri*, a. h. 259. *Choroſana* potitur, m. a. h. 265.

II.
Amrus
Jacubo fratri a. h. 265. ſuccedit; ab *Ismaele Samanida* a. h. 287. captus, tandem circa a. h. 289. *Bagdadi* in carcere interiit.

Ali

IV.
Leiſius
Per paucos dies imperium tenuit.

V.
Maadil
Breve pariter hujus, ut fratris *Leiſiis*, imperium.

III.
Taherus.
Amru Leiſio in captivitatem delapſo, ab optimatibus *Siſtaniæ* ad thronum evectus, atque a *Segbero*, liberto *Amri Leiſii*, a. h. 296. bello captus, *Bagdadum* ad Chalifam transmittitur.

Jacubus.
Cum fratre *Tahero* captivus a *Segbero* pariter *Bagdadum* transmittitur.

VI.
Amrus.
A *Mohammede*, filio *Hermuzi*, princeps *Siſtaniæ* a. h. 300. creatus, ſubin ab *Huſeino*, filio *Ali*, capitur, & *Bucharam* ad *Ahmedem*, filium *Ismaelis*, abducitur.

Ahmedes.

Chalefus.
A *Manſuro*, filio *Nuhi*, in regnum *Siſtaniæ* a. h. 353. & ſeq. reſtitutus, tum vero a *Mahmudo* Sultano a. h. 393. victus, captusque, a h. 399. vivere deſiit.

Amrus.
A patre occiditur

Taherus.
A patre itidem interimitur.

Abu Haffzius.
Poſt mortem patris, ejusdem relicta bona, annuente Sultano *Mahmudo*, ex hæreditate adipiſcitur.

Genealogicum ordinem, quo ſibi dynaſtiæ hujus principes ſucceſſere, dubium eſſe, ac cumprimis, ſi *Chaleſum*, ejusque patrem, *Ahmedem*, & avum ſpectes, cum *Mirchondio*, & hiſtorici alii annotant. Unde haud mirum, præſenti quoque in tabula hiatum hac in re quempiam apparere. Ad utriusque porro tam *Emir Jahjai*,

jai, quam *Hağī Chalfe* ſententiam quod attinet, eorundem verba hoc loco ſubjicere placuit, quorum prior de hac dynaſtia ſequentia perhibet: در ذكر صفّاريان سه كس سلطنت رسيدند مدّت حكومتش سي وچهار سال *De commemoratione Soffaridarum: ſunt autem tres viri, qui ad regnum pervenere*; (Jacub, Amru, & Taher) *tempus illud, quo regno præfuerunt, triginta, & quatuor annorum ſpatio definitur* nimirum ab anno ducenteſimo quinquageſimo nono ad annum ducenteſimum nonageſimum tertium. Computare autem incipit ab illo anno, quo, (ut ſuperius in prima dynaſtia notatum eſt) *Jacubus* primum caſtra adverſus *Niſchaburum* moverat, ipſo *Mohammede* paulo poſt in *Jacubi* poteſtatem delapſo.

Diverſa ſentit *Hağī Chalfe*, qui in *tabulis chronologicis* de eadem dynaſtia, cujus hic mentio fit, ita breviter differit: آل صفّار اوج نفر دار ملك در خراسان تاريخ ظهور ايكييوز قرق سكز تاريخ انقراض اوجيوز بش سنه مدّت ملك اللي يدي سنه *Familiæ Soffaridarum tres fuere viri, qui in Chorosana regnarunt. Initium imperii ipſorum incidit in annum ducenteſimum quadrageſimum octavum, finis vero in quintum ſupra tercenteſimum, ita, ut integer imperii ipſorum computus annos ſeptem, & quinquaginta efficiat.* Hunc autem ducenteſimum octavum annum ea de cauſſa aſſumit, quod, ſuffragante *Abulfeda* etiam, *Jacubus Leiſius* primum e *Siſtania* hoc anno *Heratam* verſus eruperit. Ita & tempus, quo eadem familia imperium in *Chorosana* tenuerit, ob id maxime *Hağī Chalfe* extrahit, quod *Amrum*, filium *Jacubi*, captivum poſtea *Bucharam* abſtractum, adnumeret.

In *Siſtania* imperium uſque ad quadringenteſimum annum perſeveravit; hinc *Hağī Chalfe* in alio opere, *geographico* ſcilicet illo, ſæpius etiam hic laudato, ubi de *Siſtaniæ* adminiſtratione mentio incidit, brevem, uti mox patebit, principum regni illius hiſtoriam adnectit: ملك سيستان بو اقليم خلفاء راشدين عصرنده فتح اولنوب بني اميّه؛ و آل عبّاس طرفندن و آليلر ضبط ايدرلردي درهم بن حسين ولايتي نوبتنده ليث صفّار ظهور ايدوب توج صتاركن درهمه انتساب ايتدي و سرعسكر اولدي ليث وفاتندن صكره اوغلي يعقوب يرينه كجدي

كچدي ايكيبوز اوتوز يديده درهم دخي وفات ايدوب اوغلي صالح
حكومته قادر اولمغله يعقوب اموري قبضهٔ تصرفنه آلوب جلوس
ايتدي و مستقل پادشاه اولدي خراساني آل طاهردن آلوب كرمان و
فارسه دخي مستولي اولدي ايكيبوز آلتمش بشده وفات ايدوب برادري
عمرو يرينه كچدي خليفهٔيه اطاعت ايدوب منشور اولدي قهستان و غزنه
و مازندرانه مستولي اولدي صكره مخالفت ايدوب بغدادي آلمق دلدي
أمير اسمعيل ساماني خليفه طرفندن اوزرينه كلوب بلخ ناحيهسنده بوزدي
كرفتار ايتدي ايكي سنه حبسدن صكره ايكيبوز سكسن طقوزده
قتل اولندي يكرمي ايكي ييل پادشاهلق سوردي صكره اوغلنك اوغلي
طاهر بن محمد سيستانده جلوس ايدوب فارسه مستولي اولدي معتضد اكا
أمير بدري‌يي كوندروب بوزدي ليث بن علي بن ليث طاهردن صكره
پادشاه اولدي فارسه لشكر چكدي صكره برادري معدل بن علي يرينه
كچوب بر زمان سوردي بعده عمرو بن يعقوب اوجيبوزده پادشاه اولدي
بعده احمد بن خلف يرينه كچدي هراتده عمر كچردي خلف بن احمد
پدري يرينه كچوب غايت فاضل و عاقل قوپدي يوز جلدده بر تفسير
تأليف اتدردي طقسان طقوزده وفات ايدوب اوغلي طاهر يرينه كچوب
غايت فاضل و عاقل قوپدي و پادشاهلق سوردي سراي طاهر اكا منسوب در
دورد يوز حدودنده منقرض اولديلر صكره غزنويلر و سلجوقيلر طرفندن
حكام ضبطنه كيروب بالاخره عجم شاهلري مستولي اولدي حالا قزلباش
خانلري ضبطنده در قندهاره وارنجه انلر حكم ايدرلر اوتهسي پادشاه
هند تصرفنده در قندهاره ايكي طرف نزاع اوزره در كاه هنديلر آلور كاه
قزلباش مستولي اولور *De regibus Siſtaniæ. Clima hoc ſub imperio primorum quatuor poſt Mohammedem Chalifarum expugnatum fuit. Ommiadarum, atque poſt hanc Abaſidarum familia per præfectos hanc provinciam adminiſtrari curavit; hac deinde adminiſtratione ad Derhemum, filium Huſeini, devoluta, Leiſius ille Soffarida prodiit, qui, ære primum vendito, Derhemi ſe ſe ſervitiis poſtea addi-*

xit, atque ad belli ducis fastigium evectus est. Mortuo Leisio, filius Jacubus patris dignitatem adeptus est; anno ducentesimo septimo Derhemus quoque supremum diem obiit. Filio autem illius Salihio, provinciæ huic gubernandæ haud pari, Jacubus summam rerum administrationem auspicatus, solium conscendit, & dominatum occupavit. Chorosana deinde Taheridis erepta, Kermaniam insuper, & Fars; provincias, suo posthac imperio adjecit. Anno ducentesimo sexagesimo quinto communi hominum fato succumbens, fratri Amru imperium reliquit. Hic Chalifæ se se subjiciens, inaugurationem ab eo impetravit. Ubi dein victricibus illius armis provinciæ, Kuhestan, Ghazan, & Mazanderan cessere, Chalifæ refractarium se exhibens, Bagdadum capere cogitabat. Emir Ismael vero Samanida, a Chalifa evocatus, contra Amrum movit, quem devictum in regione Balch cepit. Duorum annorum captivitate defunctus, anno ducentesimo octogesimo nono vita privatus est; postquam viginti duobus annis imperium tenuisset. Post hunc fratris filius Taherius, Sistaniæ principatum adiit, suæque provinciam Fars potestati subjecit, cujus exercitum Chalifa Moatezidus, obviam misso Emir Bederi, fudit. Tahero successit Leisius, filius Ali, filii Leisii, qui in provinciam Fars exercitum ducebat. Hujus locum occupans frater Maadil, filius Ali, brevi tempore imperio præfuit. Anno tercentesimo Amrus, filius Jacubi, ad regimen accessit, & post hunc Ahmedes, filius Chalefi, Heratæ ætatem agens. Patris locum occupavit Chalefus, vir perquam excellens, & doctus, qui, postquam commentarios in Coranum, in centum volumina digestos, edi curavit, anno nonagesimo nono vitæ finem fecerat; successorem nactus Taherum filium, doctrina itidem, & virtute præstantem, qui, supremus regni moderator, palatio Taher (quod Bagdadi erat) *nomen dedit. Intercidente sub seculi quinti initia Soffaridarum regno, præfecti in provincia Sistan successere, a Ghaznevidarum primum, dein a Selgiukidarum familia constituti; postremum Persiæ principes in potestatem eam redegerunt. Nunc a satrapis familiæ, in Persia hodie regnantis, administratur. Imperium vero horum satraparum Kandaharum usque se extendit; ulteriora enim ad Indiæ monarchas pertinent. De ipso Kandaharo utramque inter partem perpetua lis est, jam Indis, jam iterum Persis eam sibi vindicantibus.*

Qua-

Quare humanitate quadam in hoc vivendi genere, & modera-tione uſus. Pag. 17. lin. 13. & ſeq.

Herbelotius in vita *Jacubi* de moderatione, qua adverſus eos, quos ſpoliavit, uſus eſt, ſingulare quid conmmemorat, quod & *Derhemi* gratiam ipſi conciliavit, & quadam ratione viam ad principatum aperuit. Evenerat quippe, ut nocte quadam palatium *Derhemi*, principis *Siſtaniæ*, ſubiens, prædam ſat amplam colligeret, eamque ſecum aſportaturus in lapidem quempiam pede offenderet, quem magni pretii eſſe ratus, de terra levat, ſuæ, quo a dubio iſto liberaretur, mox linguæ admovens. Sed enim, ut primum ſalem eſſe hunc lapidem ſenſerat, tanta hujus religione tactus eſt, (ſal enim orientalibus hoſpitalitatis ſymbolum) ut ſe ſe, relicta penitus præda, in domum ſuam reciperet. Poſtera ſubin dies amittendarum opum tantarum periculum in palatio detexerat, neque adeo pronum fuit conjicere, quisnam occaſionem tam præclaram opimæ prædæ capiendæ præterlabi paſſus ſit. Poſt multas inveſtigationes is *Jacubus* fuiſſe deprehendebatur, ſiquidem rem principi, ut accidit, candide aperiebat, tantam idcirco ſibi hujus exiſtimationem pariens, ut haud ex vano dici potuerit, religionem, ſali exhibitam, ſummam ipſi fortunam accerſiiſſe. Hoc loco & illud animadvertiſſe juverit, *ſalem una comedere* de iis apud orientales dici, qui familiariter cum aliquo utuntur; quare *Jacubus* commemorato paulo ante facto indicare voluit, beneficia haud quaquam malefactis compenſanda eſſe. Hinc proverbium illud *Perſicum*, quod *Livinus Warnerius* in ſua *proverbiorum centuria* ordine primum exhibet, eo pariter alludit:

جاي كه نمك خوري نمكدان مشكن

In loco, ubi ſal comedis, ſalinum ne frangito.

Aſt vero Salihius. Pag. 18. lin. 1.

Notandus hic error, qui nemini non patet, *Salihio* ſcilicet *Derhemum* hoc, loco ſubſtituendum eſſe, qui quod exercitum in obſe-

quio

quio continere nefciret, *Jacubo*, filio *Leiſii*, omnem pedetentim poteſtatem relinquere cogebatur. Ita quidem *Mirchondius* ſentit; cui & *Abulfeda*, ſimul commemorans, eundem militiæ fundamenta ſub *Salihio* poſuiſſe, hiſce verbis aſſentitur: *Militiæ tyrocinium, & fortunæ, quæ poſtmodum ipſi tam luculenta affulſit, fundamenta ponebat ſub aliquo Salihio, filio Nasri, Arabe quidem Kenanita, natalibus autem, ſedeque Segeſtanico homine, qui a voluntaria adverſus Charegitas militia, eoque, quod volentes omnes in laborum, & diſcriminum ſocietatem venire, ad eandem militiam invitabat, inclaruit. Salihio vivis exemto, tranſibat Jacub in ſucceſſoris familiam, Derhemi, filii Huſeini. Quia vero Derhem iſte rebus gerendis ſe parem non monſtrabat, homo, qui adminiſtrare, & tueri parta, & copiis imperare neque noſſet, neque curaret: conveniebant caſtra Jacubum, eique communi conſenſu ſuum imperium deferebant. Neque Derhem Jacubo de ſumma auctoritate decedere ceſſabat, probe ſuæ inertiæ ſibi conſcius.* In eo ceterum a *Mirchondio* differt *Abulfeda*, quod hic *Derhemum*, filium *Huſeini*, ille vero filium *Naſirii* fuiſſe ſtatuat.

Contra vero Epitomator *Emir Jahjai* ad illius patrem hæc referens, ait: ليث صفّار چون درو تحذّق بديد كرد منقاد نشد از سلاح ورزي بره زني افتاد امّا دراين طريق انصاف سپر دي و مال كس بيكپاره نبردي و بعد از آن بملازمت درهم بن نصر كه دهاي سيستان بود رفت و پيش او مرتبه و جاه يافت و امير لشكر شد بعداز او پسرش يعقوب بدين جاه رسيد پس درهم بن نصر وفات كرد و بنابرآن پسرآن ليث خروج كرده بر سيستان مستولي شدند *Leiſius, faber ærarius, quoniam acrius illi ingenium erat, arte ſua minime contentus, arma tentavit, & vias infeſtare coepit. Verum in hoc novo vivendi genere magna moderatione uſus, haud omnia uni eripiebat. Derhemo deinde, filio Naſirii, qui Siſtaniæ imperabat, ſe ſe adjunxit, & eo auctoritatis procedente tempore pervenit, ut exercitus etiam dux deligeretur. Huic poſt mortem Jacubus filius ſuccedebat; atque ipſo quoque Derhemo, filio Naſirii, vita functo, Leiſii filii obedientiam abjicientes, ſummum ipſius provinciæ dominium uſurparunt.*

Chro-

Chronicon, vulgo absolutissimum chronicorum opus inscriptum. Pag. 18. lin. 17. & seq.

Hoc titulo apud orientales notissimum est universale chronicon, كامل التاريخ *kāmilet-tarīch* inscriptum, quod cum mundi creatione coeptum, ad sexcentesimum vigesimum octavum usque annum hegiræ decurrit. Hujus chronici auctor est, ut *Pocockius* in *specimine historiæ Arabum* affirmat: ابو الحسن علي بن ابي الكرم محمد بن عبد الكريم الشيباني المعروف بابن الاثير الجزري الملقب عز الدين *ābūül-hasæn ǽlȳ ben abȳl-kerem mohammed ben ǽbdil-kerīmeś-śæibany-el-mǽrūf biebnel-ḡezeryl-müllækæb ẏzzed-dīn*, qui natus anno quingentesimo quinquagesimo quinto, & sexcentesimo trigesimo mortuus est.

Plura libri hujus exempla in publicis bibliothecis extant, ut in illa *Byzantina*, a *Raghib Passa* anno hegiræ millesimo centesimo septuagesimo sexto instructa; nec minus in splendida illa librorum collectione, a regnante Sultano anno hegiræ millesimo centesimo, nonagesimo quarto, Christi vero millesimo septingentesimo septuagesimo nono publici juris facta; cui, præter ingentem voluminum numerum, quo ceteris præstat, id quoque peculiare est, quod novem mensium, & dimidii intervallo tota ipsius bibliothecæ fabrica perfecta sit.

Anno — — ducentesimo quinquagesimo tertio, ut supra innuimus, Chorosanam rursus cum exercitu suo adortus Jacubus. Pag. 18. lin. 19. & seq.

Jacubi Leisii in *Chorosanam* irruptionem ab *Hağī Chalfe* ad hunc annum referri jam supra pagina 102. commemoratum est. Cui sententiæ *Abulfeda* quoque his verbis subscribit: *Eodem* (anno ducentesimo quinquagesimo tertio) *potitus est Herata, & Fusenḡia Jacub Soffar, crevitque viribus adeo, ut Emiro Chorosanæ, & aliarum terrarum dominis formidandus esset.*

Pag. 18. lin. 22.

Iter in Kermaniam perſecutus.

Provincia كرمان *kermān* ſecundum perpetuam orientalium relationem a *Japheti* progenie, a كرمان *kermān* nimirum, filio فلوج *felūğ*, nomen traxit, & antiquis *Carmaniæ* nomine nota fuit; cui nonnulli etiam regiones *Hermuzum*, & *Lar* adnumerant, aliis contra, binas has provincias ab illa neutiquam dependere, aſſerentibus; jam ſecundum poſteriorum ſententiam *Kermania* provinciis *Fars*, & *Lar* ad occaſum, ad meridiem regione *Hermuz*, deſertis provinciæ *Mekran* ad orientem, ad ſeptentrionem denique deſertis *Siſtaniæ* terminatur. Latitudo æque, ac longitudo provinciæ hujus octoginta circiter ſupra centum paraſangis definitur. Ceterum in regione, maxima parte perquam frequenti, urbes quidem raræ, ſed eo copioſiora in locis planis æſtiva deprehenduntur. In terris, urbi بم *bum* vicinioribus, amæna aquæ, & aeris ſalubritas, magna item fluminum, arborumque, frugiferarum cumprimis, frequentia commendatur, pſittacorum etiam præcipua laus eſt.

Quo tempore *Chozrewi* principes jura *Perſiæ* dedere, ſexcenta *juk* ab hac provincia exacta ſunt, de qua tamen ſumma aliquantum poſtea remittebatur. De viciſſitudinibus illius meminit *Hağı Chalfe*, (cui & ſuperiorem deſcriptionem debeo) devicta *Omari* Chalifæ tempore *Perſia*, hanc quoque provinciam victricibus Chalifæ armis cedere coactam, & a præfectis ad id uſque temporis adminiſtratam fuiſſe, dum vicini principes ſummam poteſtatem uſurparunt; id quod in præſentia, hoc in opere laudata, tempora incidit.

Pag. 18. lin. 24. & ſeq.

Directo exin Schirazum verſus itinere.

Perſis شيراز *śīraz* urbs cum amplo territorio, & provinciæ *Fars* caput eſt, cui *Naſſireddinus*, & *Ulughbegius* gradus longitudinis 88., & latitudinis 29. & 36′. *Hağı Chalfe* vero in *opere geographico* 88. cum dimidio longitudinis, & 29. item cum dimidio latitudinis gradus tribuit. Vetus opinio eſt, *Schirazum* ab antiquo *Perſidis* monarcha, *Tamurazo*, conditum eſſe; ad verum tamen propius accedit illa ſententia, (cui & *Hağı Chalfe* ſuffragatur) *Hegā*-

gum

gum anno hegiræ ſeptuageſimo ſexto eam ædificaſſe. Ceterum ſingulæ fere domus ſuos colunt hortos, quorum proprio quisque flumine irrigatur. Urbs, ad quam per novem portas acceſſus patet, in ſeptem vicos dividitur. Aeris temperies, & aqua perquam ſalubris, & grata eſt. Nomen *Schiraz*, quod *leonis ventrem* ſignificat *Perſis*, ea de cauſſa huic urbi inditum eſt, quod, ut *Golius* in *notis ad Alfraganium* exponit, annona ad eam undequaque convehi, nihil vero inde exportari ſoleat.

Prope *Schirazum* in declivitate collis cujusdam, *Allahekber* dicti, vallis eſt, ubi fons ſcaturit, cui ركناباد *ruknābād* nomen, ob aquam limpidiſſimam, & ſingularem loci ipſius amœnitatem, & ſalubritatem a *Perſiæ* poetis, ut *L. B. a Reviczky* in ſua paraphraſi meminit, haud ſecus, ac fons *Blanduſiæ* ab *Horatio*, celebratus. Sic enim præter ceteros *Hafizius* canit:

بده ساقي مي باقي كه در جنّت نخواهي يافت
كنار آب ركناباد و گلگشت مصلّا را

Porrige o pocillator! quod reſiduum eſt vini; neque enim in paradiſo reperies
Ripam rivi Ruknabadi, aut deambulacra Muſſelæ.

Coronidis denique inſtar ſubjicere hic placet, quæ idem *L. B.* a *Reviczky* in urbis hujus commendationem affert: *Hanc aliquis*, ait, *non male Perſiæ Athenas vocaverit, tum, quod puriſſima lingua Perſica, eaque peculiaribus idiotiſmis, ac elegantiis, quas grammatici gentis illius modos Schirazios vocant, luxurians, incolis ejus ſit natiua, tum etiam, quod amœniorum, ac politiorum literarum domicilium dici mereatur. Plurimi ſane ſunt, neque facile enumerandi, eruditionis, & eloquentiæ laude in oriente clari ſcriptores, qui ex hac urbe originem traxerunt, ſed inter ceteros notiores, neque noſtratibus nominetenus ignoti poetæ ſunt, Sadi, & Hafiz &c.*

Ubi

Pag. 18. lin. 25. & seq. *Ubi, inito rursus cum præfecto provinciæ Farsiæ prælio, captoque duce, res ipsi ex sententia successit.*

Hæc *a Jacubo Leisio* gesta, *Abulfeda* ad annum ducentesimum quinquagesimum quintum sequentibus verbis confirmat: *Occupavit Jacub, filius Leisii, Kermaniam, & Persidem deinceps, armis, cujus urbem principem, Schirazum, ingressus, jussit per præconem omnes securos, & quietos esse. Et quamvis Chalifæ has terras eriperet, ejus tamen clientem se profitebatur, eique tam literis, quam muneribus, quæ splendidissima mittebat, testabatur obsequium. In quibus muneribus decem candidi falcones erant, & centum globi musci integri.*

Pag. 19. lin. 3. & seq. *Anno ducentesimo quinquagesimo septimo, iterata in provinciam Farsiam incursione Jacubi, offensus Mutamid, Chalifa Bagdadensis, viros miserat, qui ex Jacubo quærerent, quid sit, quod in provinciam Farsiæ — — — exercitum rursus educeret.*

Abulfeda, eodem anno hanc irruptionem, nonnullis tamen mutatis, factam esse, dicit: *Eodem occupabat Jacubus Soffar Balcham, & inde porro Kabulam; & alia inter spolia, obsequii documenta, mittebat Chalifæ simulacra numinum, quæ Indi divinis honoribus prosequi consueverant.* Haud absimile donum ab *Amru*, fratre *Jacubi*, anno hegiræ ducentesimo octogesimo sexto *Bagdadum* Chalifæ submissum esse, mox e *Mirchondio* patebit; cum tamen *Abulfeda* anno hegiræ ducentesimo octagesimo sexto nullam rei hujus mentionem inferat, censendum est, donationem idoli hujus ab utroque historico diversis fratribus, *Leisii* filiis, adscribi.

Pag. 19. lin. 10. & seq. *Balcham — — — ipsi concessam esse.*

Urbs بلخ *balch*, metropolis *Chorosanæ*, testibus *Nassireddino*, & *Ulughbegio* sub gradu longitudinis 101., & latitudinis 36. 41′. *Ha-*

gi

ği *Chalfe* vero auctore ſub longitudinis gradu 101. latitudinis 36. & 30′. poſita eſt. Idem literis conſignauit, *Balchæ* regionem *Tochariſtanæ*, *Bedachſchanæ*, & *Bammianæ* continentem eſſe. Urbs vero antiqua, admodum ampla, planoque in loco explicata eſt. Fluvius دروها *derūha*, quem *Golius*, *Ibni Haukelium* ſecutus, دهاش *dehāś* compellat, eam prælabitur, tanto impetu decurrens, ut undis ſuis molarum rotas impellat. In aliis, quibus abundat, fructibus melones eminent, qui tantæ hic magnitudinis ſunt, ut haud pluribus, quam quatuor portandis camelus ſufficiat. Auſtrales territorii huius limites *Oxus* alluit.

Lohraſpum, antiquum *Perſiæ* regem, *Hydaſpis* patrem, ea tempeſtate hanc urbem condidiſſe, qua *Hyeroſolimas Nebucadnezar* diripuit, *Golius* ex *Jacuto* in *notis ad Alfraganium* commemorat. Priſcis temporibus pyreum celebre, بهار *behār* dictum, atque a remotiſſimis populis frequentatum, hic loci extitit, cujus ædificii rudera, *Haği Chalfe* teſte, hodiedum extant. Hoc pyreum legabat familia *Barmekidarum*, ex quibus oriunda ſoboles inde ab *Ardeſchirii* tempore, nusquam interrupto ordine, apud *Perſiæ* reges primorum conſiliariorum munere fungebatur; in his *Giafarus*, *Fazlius*, & *Jahjaus* numerantur, Chalifarum Vezirii, quorum tanta liberalitas erat, quam vix quiſpiam deinceps adæquare potuerit.

Nominis originem nonnulli hiſtorici ab antiquiſſimo *Perſarum* rege *Kajamuras* repetunt, qui, multo ante amiſſum fratrem, hic loci primum obviam nactus, priſtino urbis nomini vocabulum *Balch* ſuffeciſſe dicitur, quod a بلغيدن *balghīden* i. e. *amplecti* derivatum eſt, propterea, quod fratres diu, multumque in mutuo amplexu hæſerint. Alii, rem eandem narrantes, referunt, regem *Kajamuras*, fratre ſuo procul præter opinionem conſpecto, exclamaſſe بل اخو *bel achon* i. e. *imo frater eſt*, indeque contractam vocem *Balch* proficiſci. Verum fabulam hanc *Arabicæ* originis eſſe, indubitatum eſt, cum, *Perſidis* reges minime tunc temporis *Arabica*, quam ignorabant, lingua uti potuiſſe, in propatulo ſit. Cum veterum porro *Bactris* eandem eſſe *Balcham*, & aliquanta nominis ſimilitudo, & ipſius ſitus comparatio ſuadet, uti *Golius* in *notis ad Alfra-*

P 3 *ganium*

ganium præclare advertit; omnes enim geographi veteres conſentiunt, urbem præterlabi fluvium, quem *Strabo*, *Zariaſpem*, *Curtius* vero, *Pliniuſque* *Bactrum* compellant, quemque ſuum ipſi quoque urbi nomen dediſſe volunt; *Bactras* autem ſub *Parapamiſo* monte, *Tauri*, ſeu *Caucaſi* parte, collocant. His omnibus plane ſimilia ſunt, quæ paulo ante de urbe *Balch* memoravimus. Hodiernum denique urbis nomen قبة الاسلام *kubettül-islam* i. e. *turris*, *ſeu fornix Islamismi* in ſummæ venerationis teſtimonium illi impoſitum eſt.

Pag. 19. lin. 14. & ſeq.

Kabulum contendit.

Regio hæc, ab orientalibus unica alias voce كابولستان *kabūliſtān* etiam dicta, a nonnullis *Indiæ*, ab aliis regno *Zabeliſtan*, & *ghur* adnumeratur. *Parapamiſo* veteri reſpondere videtur, in cujus extremis fere finibus apud *Ptolomæum* ſimilia nomina, *Zuaſtena*, & *Goryea* inveniuntur.

Metropolis, ejusdem cum provincia nominis, breviter ab *Hagi Chalfe* hunc in modum deſcribitur: longitudo illius gradus 105 cum dimidio, latitudo 33. cum dimidio obtinet; pone ripam fluminis exporrecta, frequentibus hortis, vineisque circumſepta eſt, & ab arce munitiſſima, ad quam una ſolum ex parte acceſſus patet, defenditur; denique a *Moslemis* partim, partim a *Brachmanarum* aſſeclis, partim etiam ab *Hebræis* incolitur. Hujus urbis tanta olim erat exiſtimatio, ut & ſedem ibi figerent reges, &, niſi diademate hic loci inſigniti, ceteris regibus haud adnumerarentur. Cum porro montibus, nive tectis, circumfuſa, jam frigidiore, jam incaleſcente iterum aere utatur, nullos quidem dactylos, ſed eo majorem goſſipii, & croci copiam producit. Nec ferri fodinæ, & aloe in hoc terræ tractu deſiderantur; *mirabolana* vero, *kabulenſis* alias nuncupata, non hic quidem procreatur, ſuum tamen nomen ab hac urbe traxit, quod venditionis cauſſa huc primum ex *India* comportari ſoleret. Atque hæc quidem de urbe *Kabulo* memoraſſe ſufficiat; de ipſa jam, ejusdem hujus nominis, provincia nil relatu dignum occurrit, quam, quod urbi-

bus, vicisque refertiſſima, in quatuordecim تومن *tūmen*, ſeu nomos diſtribuatur.

Niſchaburum ſe convertens.

Pag.19.lin. 17. & ſeq.

Præſenti quidem loco facti hujus annum tacitus præterit *Mirchondius*, ſed in ſuperiore dynaſtia, ubi capti in urbe *Niſchabur* mentio *Mohammedis* incidit, annum ducenteſimum quinquageſimum nonum affert, cui ſententiæ & alii hiſtorici ſubſcribunt. Et *Abulfeda* quidem ait: *anno ducenteſimo quinquageſimo nono potiebatur Jacub Soffar urbe Niſchabur.* Quæ vero *Elmacinus*, & *Hagi Chalfe* in *tabulis chronologicis* in eandem rem afferunt, in ſuperiore pariter dynaſtia pagina 104. & ſequenti allata ſunt. *Mirchondius* item ſuperius poſt narratam *Mohammedis* captivitatem addit, regni optimates præſenti jam periculo ad *Jacubum* nonnullos ſubmiſiſſe, qui veniam, & immunitatem ſuo nomine flagitarent.

Rem eandem nonnihil mutatis iis, quæ ad novi principis *Jacubi Leiſii* commendationem faciunt, *Huſeinus* quidam, *Waez*, ſeu *præco* cognomine, in egregio ſuo opere, *de moribus proborum* inſcripto, capite vigeſimo quarto, ubi de promiſſorum fide præſtanda agit, hunc in modum narrat: در آن وقت يعقوب بن ليث بـه نيشابور رسيد طاهر حاكم نيشابور بود باو باغي شد و او شهررا محاصره كرد اركان دولت محمّد طاهر در پنهاني كتابتها به يعقوب فرستادند و در اظهار خلوص مبالغها نمودند مكر ابراهيم حاجب كه او هيچ كتابتي نـكرد و كسي نفرستاد وچون يعقوب به نيشابوررا كرفت و رعايا وحشمرا در ضبط آيالت خود درآورد ابراهيم حاجبرا طلبيد و كفت چكونه بود كـه همه ياران تو كتابتها فرستادند و تو با ايشان موافقت نكردي ابراهيم كفت اي ملك مرا با تو سابقهٔ معرفتي نبود كه تجديد آن عهد كردمي و نيز از محمّد طاهر شكايتي ندارم كه طريق مخالفت سپردمي و از خود رخصت آن نيافتم كه حقّ و انعام و پرورش اورا بشكستن عهد و پيمان بر طرف نهادمـــي

بيت

بيت

من نه آنم كه سر از وفا بر تابم ❊ و رچه سازند جدا چون قلم بند زبند

يعقوب كفت تو لايق آني كه ترا تربيّت كنند و مستحقّ آن كه همه ترا تمشيّت دهند

مصرع

آفرين بادبر وفاداران

پس اورا از جمله آن مردم بقبول و اقبال اختصاص داده و آنهارا كه به نفاق جانب ولي نعمت خود فرو كذاشته بودند بانواع عقوبات و تعذيبات تلف ساخت

Illo tempore, quo Jacubus, filius Leisii, Nischaburum accesserat, Mohammedes, filius Taheri, huic urbi jura dabat; hic quoniam obsistebat, urbs obsidione cingebatur. Optimates regni Mohammedis clanculum literas ad Jacubum mittebant, quibus se totos illi obstringebant. Unus autem Ibrahimus Hağib erat, qui neque hujusce tenoris literas scriberet, neque quempiam ad Jacubum mitteret. Capta urbe, cunctoque populo cum optimatibus in deditionem accepto, Jacubus Ibrahim Hağib, ad se evocatum, ita allocutus est: quo pacto id accidit, ut, cum omnes amici tui literas ad me miserint, tu solus iis non consenseris? reposuit ad hæc Ibrahimus: o Princeps! nulla mihi tecum prius intercessit consuetudo, quam renovare officii mei fuisset, neque cum Mohammede, filio Taheri, conquerendi mihi caussa est, ut, illi repugnare, conveniens mihi videretur; neque id etiam licere mihi putabam, ut, quidquid juris, gratiæ, ac favoris mihi tribuisset, violata fide, penitus negligerem.

Versus.

„ Ego non sum is, qui caput a limitibus fidelitatis retraham;
„ Quamquam eam infringant alii, & catenas a catenis lacerent perinde, ac calamus meus diffinditur.

Ad hæc inquit Jacubus, tu dignus es, quem colant omnes, quin mereris etiam, ut in concreditis tibi negotiis a me confirmeris.

Hemi-

Hemistichium.

„ Laus sit iis, qui fideles sunt in operibus suis

Hunc igitur, præ aliis omnibus ad diversa munera admotum, singulari honore prosecutus est; illos contra, qui patrono suo minus fidos, & refractarios se exhibuere, vario suppliciorum genere e medio sustulit.

Quod in provinciam Farsiæ, nullo pacto sibi concessam, exercitum rursus educeret. Pag. 19. lin. 6. & seq.

Fars provincia *Persiæ*, quæ & toti regno hoc nomen dedit; unde eandem quoque *Golius* provinciam *Persidem*, & *Gravius*, *Parthiam* compellat. Auctore *Hagi Chalfe* sic denominata est a فارس *fārs*, filio ناسور *nāsūr*, filii سام *sām*. Termini hujus provinciæ sunt: ad occasum *Chuzestania*, & quædam maris *Persici* litora; ad meridiem mare *Persicum* cum *Hormuzo*; ad septentriones montana regio بلاد جبل *bilādi gebel* dicta, & vastum illud desertum, hanc inter provinciam, & *Chorosanam* interjectum, & *Ispahanum* usque diffusum; ad ortum denique vicinis regionibus *Kerman*, & *Segestan* clauditur,

In summa & apud ipsum *Mohammedem* laude est hæc provincia, ait enim: ان ٱلله اختار خلقه من ٱلعرب قريشاً و من ٱلعجم فارساً *Quoniam prælegit Deus gentes inter Arabes Koraischitas, & inter Persas illos, qui sunt e provincia Fars.* Hæc demum regio in binas partes, septentrionalem videlicet, & meridionalem secatur, quarum prior perpetuis montibus continetur.

Rebus hunc in modum confectis, Tabaristanam ingreditur, Hasanum, filium Zeidi, Alidam, bello petiturus. Pag. 19. lin. 22. & seq.

Hasanum, filium *Zeidi*, dynastiam sibi, suisque successoribus in *Tabaristana* stabiliisse, jam pagina 98. insinuatum est. Hæc autem anno ducentesimo sexagesimo a *Jacubo* gesta esse, *Hagi Chalfe* in *tabulis chronologicis* hunc in modum exponit: رفتن يعقوب بطبرستان و انكسار او از كثرت باران *Subeunte Jacubo Tabaristanam, ipsius exercitus ob continuas pluvias atteritur.*

Pag. 20. lin. 2.

Jamque Saram Perveniens.

Orientalibus ساري *sārī* vel etiam سارية *sārīe*, ut *Golius* refert, in *Tabariſtana* oppidum, quod a *Naſſireddino*, & *Ulughbegio* ſub gradu quidem 88. longitudinis, latitudinis vero 37. ſitum eſſe perhibetur; verum *Hağī Chalfe* hoc oppidum in provincia *Mazanderan*, atque ſub longitudinis gradu 88., latitudinis dimidio ſupra 37. collocat. A *Tahmurazo*, monarcha *Perſarum*, conditum fertur, eſtque magnitudine mediocri, quatuor utpote orgiarum millia ſuo ambitu complectens. Frugibus ceterum abundat, & ab urbe *Amela* duorum, ab urbe *Aſtrabat* vero quatuor dierum itinere abeſt.

Pag. 20. lin. 5.

Amelam movit Jacubus.

Amela, ſecundum *Golium* interioris *Tabariſtanæ* metropolis, a celebrioribus geographis longitudinis gradus 87, & 26′. latitudinis autem 36, & 15′. habere dicitur. *Naſſireddinus* tamen, & *Ulughbegius* longitudinis gradibus 87, 20. minuta, & 36. gradibus latitudinis 35. minuta addunt. *Hağī Chalfe* demum in urbis hujus deſcriptione longitudinis gradus 87. cum dimidio, & latitudinis 37. etiam cum dimidio ſtatuit. Hæc urbs mediocris, maris litus occupans, *Tahmurazo*, uti & plures aliæ civitates, condita fertur. Adverſus maris oram aere aliquantum tepidiore utitur; ut ceterum ab altera ejusdem nominis urbe, trans *Oxum* poſita, diſtinquatur, آمل طبرستان *amelī tabariſtan*, i. e. *Amela Tabariſtanæ* vocatur. Huic denique urbi originem ſuam debet ابو جعفر محمد بن جرير طبري *ābū giāfar mehmed ben giöreīr tæbarī.*

Pag. 20. lin. 23. & ſeq.

Dum Mohammedes, filius Waſil Temimi, provinciæ Farſiæ præfectus, ſupremum ejusdem dominium ſibi arrogaret.

Hanc eandem, a *Mohammede*, filio *Wazilii*, in Chaliſam concitatam ſeditionem, *Elmacinus* anno ducenteſimo ſexageſimo primo pluribus exponit. Quare ad dilucidanda ea, quæ *Mirchondius* hic affert,

affert, integram *Elmacini* narrationem hoc loco ſubtexere juverit:

وفي سنة احدي و ستين و مايتي كانت و قعات بين الحبيب و بين محمد
بن واصل قتل عامل المعتمد علي فارس و غلب عليها فضم المعتمد فارس
والاهواز و البصرة و البحرين الي موسي بن بوغا مع ما كان معه من عمل
المشرق فجهز موسي بن بوغا عبدالرحمان بن مفلح الي الاهواز و ولاه
اياها وضم اليه طسم التركي و كان محمد بن واصل مقيما بالاهراز على
حرب الحبيب فلما اتصل به ذلك زحف الي عبد الرحمان و التقيا برامهرمز
فظفر بن واصل بابن مفلح و اسره فبعث المعتمد الي بن واصل في اطلاق
بن مفلح و توجه الي اصطخر لحرب موسي بن بوغا فلما راي موسي شدة
الامر و كثرة المتغلبين علي المشرق سأل الاعفا من اعمال المشرق فاعفي و
عزل نوابه عنها و قدم الي سرمن راي *Anno ducenteſimo ſexageſimo primo acie aliquoties conflixerunt Habibus, & Mohammed, filius Waſili, qui, occiſo præfecto Perſiæ Mutamidi, eam occupaverat. Sed præfecit Mutamidus Perſiæ, Ahwazæ, Basræ, & Bahrainæ Muſam, filium Bugæ, præter ea, quibus jam præerat in oriente, miſitque Muſa, filius Bugæ, in Ahwazam, Abdurrahmanum, filium Muflihi, eundem ei præficiens, eique adjungens Tiſamum, Turcam. Erat autem in Ahwaza Mohammed, filius Waſilii, bellum gerens cum Habibo, qui, cum id intellexiſſet, proceſſit contra Abdurrahmanum, & concurrerunt in Ramahormuza, vicitque filius Waſilii filium Muflihi, & eum cepit. At Mutamidus miſit ad filium Waſilii, ut immitteret filium Muflihi, & profectus eſt filius Waſilii Iſtacharam, bellum illatum Muſæ, filio Bugæ. Cum autem Muſa videret rei difficultatem, & eorum multitudinem, qui captabant orientem, defungi voluit præfecturis orientis, iisque ſolutus, removit ab iis vicarios ſuos, & contendit Samarram.*

Muſa, filius Buga.

Pag. 21. lin. 1.

Muſa iſte, filius *Buga*, quem in *hiſtoria ſua Saracenica*, uti ab *Hottingero*, aliisque jam obſervatum eſt, perperam *Nugam* appellat *Erpenius*, ex hiſtoria Chalifarum notus, atque e *Turcarum*

familia oriundus, præcipua caussa interitus *Muhtadi billah*, Chalifæ, extitit.

Pag. 21. lin. 1. & seq. *Cui, Chalifæ voluntate, Bassoræ, Ahwazi, Jemame, & Farsiæ gubernium commissum fuerat.*

Bassora, nostratibus etiam *Balsora*, orientalibus vero بصره *basra*, urbs est cum ditione ampla, ad provinciam *Yrakæ Arabicæ* pertinens. Consentientibus *Nassireddino*, & *Ulughbegio* longitudinis gradus 84., latitudinis vero 30. complexa, extremum deserti occupat, quod inde ad Cæciam vergit, ut *Golius* in *notis ad Alfraganium* indicat. Ea de caussa a Chalifa *Omaro* condita perhibetur, ut *Musulmani*, *Arabes* æque, ac *Persæ* eo confluerent. Duobus ad ortum milliaribus *Basram* præfluit *Tigris*, qui prope Euronotum currens, duorum circiter dierum itinere ab urbe in mare se se exonerat, unde *Basra* emporium sinus *Persici* esse dicitur. Porro duabus infra eam parasangis in *Tigrim* نهر آلابلة *nehrül-ebulet*, i. e. *amnis Abullæ* illabitur, qui inter *Circium*, & *Corum* medius decurrit, ab oppido, quod secat, ita cognominatus; fluvio isti ad occasum *Basræ* & alius jungitur, duabus itidem, *Omari* jussu, supra urbem parasangis ex *Tigride* ductus, cui ab operis hujus magistro معقل بن بشار *moākal ben bešār* nomen نهر معقل *nehrī moākal* i. e. *fluvius Mokali* inditum. Inter occiduam, & australem urbis hujus partem mons visitur, سنام *senām* dictus; ea vero, quæ occasum inter, & septentrionem interjacet, terræ portio plana est; versus orientem torrentes non paucos reperire est, quorum ad octo millia antiquitus his in terris fuisse, narrantur. Celebris denique urbi palæstra literaria fuit, ob differentiam sententiarum in rebus grammaticalibus *Kufiensem* palæstram æmulam nacta, de quibus jam in *commentatione de fatis LL. OO.* pagina 23., & seq. plura allata sunt.

Provincia *Basrensis*, nunc temporis *Ottomanico* imperio subdita, anno hegiræ millesimo septuagesimo nono, teste *Hağı Chalfe*, præfectos primum acceperat, vulgo *Passas* dici solitos. Hæc provincia, ut *Marsilius* in *tabulis suis imperii Ottomanici* exhibet, septingenta crumenas aureas, i. e. tercenta quinquaginta

millia

millia piastrorum pendit, qui *Constantinopolim* ad gazam publicam deportantur.

Ahwaz, aut, ut *Golius* in *notis ad Alfraganium* الاهواز *elāhwāz* i. e. *regiones Ahwazæ*, quæ ad *Susianam* pertinent, quæve passim خوزستان *chūzistān* apud orientales audiunt. Nomen regionis hujus quandam habere similitudinem cum binis iis apud *Ptolomæum* nominibus, *Characene* nimirum, & *Cossiana*, aut etiam *Cissia*, quæ extremas *Susianæ* partes efficiunt, & in quibus hæc ipsa provincia *Ahwaz* sita est, idem *Golius* in laudato opere affirmat.

Ahwazi nomine & metropolis provinciæ hujus compellatur, quæ juxta *Nassireddinum* & *Ulughbegium* sub longitudinis gradu 85., & latitudinis 31 sita est. Urbs hæc antiquissima alias etiam سوق اهواز *ṣūkī ahwāz* i. e. *forum Ahwazi*, vel هرمزد شهر *hürmüzd śehr* quasi *Diospolis* vocabatur.

Jemame, provincia *Arabiæ*, cum urbe ejusdem nominis; quæ, uti *Golius* in *notis ad Alfraganium* ostendit, aliquantum septemtrioni, & quatuor gradibus orienti propinquior est, quam *Mecca*. Idem in descriptione urbis hujus addit, eam نجد *neḡd*, vel *neḡde* proximam esse, ita, ut a nonnullis ad eam referatur, olim item جو *ḡew* dictam; in hujus insuper territorio domicilium habuisse inclytas *Arabiæ* tribus بنو عاد *benu äād*, جديس *ḡedīs* بنو حنيفة *benu hanīfe*, & بنو طسم *benu tasm*; huic porro *Tasmo* neptem fuisse, *Jemame* nomine, ob singularem oculorum aciem apud *Arabes* celeberrimam; unde proverbium illud ابصر من اليمامة *oculatior Jemama*; a qua جو *ḡew* urbem *ḡew Jemame* primum cognominatam, tum vero solo *Jemame* nomine, tanquam proprio inclaruisse.

De *Farsia* nil hic dicere attinet, cum uberior jam supra pagina nempe 121. illius mentio facta sit.

Motamidus Chalifa — — Mewfikium cum instructo exercitu Jacubo obviam misit, qui — — dolis militaribus, machinationibusque — — Jacubum Leisium vicit. Pag. 21. lin. 27. & seq.

Hæc pugna, ex qua *Jacubus* inferior discessit, ab *Hagi Chalfe* in *tabulis chronologicis* ad annum ducentesimum sexagesimum secun-

dum

dum commemoratur, ubi ait: انهزام يعقوب در جنك موفق در واسط *Devincitur Jacubus in pugna contra Mewfikium ad urbem Wasit.* Idem & *Elmacinus* memoriæ prodidit, verum, cum multis hæc hiſtoria Saracenica, uti alii jam adverterunt, erroribus ſcateat, ita hic quoque *Alliti* loco *Elleis* legendum eſt. *Elmacini* autem narratio ita habet: و في سنة اثنتين و ستين و مايتي خرج ٱلمتعمد علي ٱللّه لقتال بن ٱلليث و سببه انّ ابن ٱلليث كان قد تجبر و عصي و شـق ٱلارض حتي اتي واسط فدخلها في جماذي ٱلاخرة فلما صار ٱلمعتمد ببغداد ارتحل منها الي شيت و انتهض خلف بن ٱلليث وولي عهده ٱلموفق بالله فالتقيا في شهر رجب فانهزم اصحاب بن ٱلليث و استباح ٱلموفق عسكره وخلص محمّد ابن زاهر وكان مثقلاً بالحديد و توجّبه ٱلموفق في اثريعقوب بن ٱللّيث ٱلصّفّار ولم يكن ليعقوب همّة الاّ ٱلنجاة بنفـــه *Anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo exiit Mutamidus Ala allah oppugnatum filium Leis, hic enim, potens jam factus, & rebellis, terram pervaſerat, donec venerat Waſitum, eamque ingreſſus erat in ḡiumaza poſteriori. Cum autem Mutamidus Bagdadum veniſſet, diſceſſit illinc Schütam; ſed perſecutus eum eſt Mutamidus cum ſocio fœderis ſui Muwafiko billah. Concurrerunt autem menſe Reḡebo, &, in fugam verſis militibus filii Leiſii, ſpoliavit Muwafikus exercitum ejus, ac ſalutavit Mohammedem, filium Zaherii, qui ferramentis gravatus erat. Hinc Muwafikus perſecutus eſt Jacubum, filium Leiſii, Soffarum, qui ſolum de ſalvando ſolicitus erat.*

Emir Jahjai, epitomator ille, jam toties laudatus, eodem quidem anno, verum non eodem menſe hanc rem eveniſſe contendit, ſicut ex his adjectis ipſius verbis patet: يعقوب هوس ملك عرب كرده بجنك معتمد خليفه رفت معتمد برادر خود موفق رابجنك او فرستاد و بين ٱلفرقين در ماه رجب سنهٔ اثني و ستين و مايتين در حدود واسط محاربه واقع شد و سه تير بر خلق و تن يعقوب زدند و لشكر يعقوب منهزم شد وي بخوزستان رفت *Jacubus, quoniam regnum Arabiæ affectabat, Moatemido Chalifæ bell m intulit, cui Chalifa proprium fratrem ſuum Mewfikium obviam miſit; hinc luna reḡeb anni ducenteſimi ſexageſimi ſecundi ad confinia Waſiti inter utramque par-*

tem

tem gravis pugna ſuborta eſt. Jacubus tribus ſagitis partim in gutture, partim in ipſo corpore ſauciabatur; devicto denique Jacubi exercitu, ipſe in Chuzeſtaniam referre pedem cogebatur. Nil quidem de celebri illa anni hujus pugna *Abulfeda* memorat, ſequenti attamen anno, ſexageſimo ſcilicet, & tertio ſupra ducenteſimum *Ahwazam* a *Jacubo* occupatam fuiſſe ſignificat.

Jamque magis numeroſo exercitu, Bagdadum denuo ire contendens, in itinere repente in morbum colicum incidit. Pag. 22. lin. 2.

Annum, quo novum bellum adverſus Chalifam concitans, repentina morte ſublatus eſt *Jacubus*, ſilentio equidem *Mirchondius* premit, *Hagi Chalfe* vero annum ducenteſimum ſexageſimum quintum in *tabulis chronologicis* adfert; id quod & *Emir Jahjai* ſequentibus confirmat: يعقوب بمرض قولنج وفات يافت در رابع عشر شوال سنه خمس و ستين و مايتين *Jacubus e morbo colico mortem oppetiit decima quarta lunæ Schewal anno ducenteſimo ſexageſimo quinto.* Utrique & *Abulfeda* in *Moslemicis ſuis annalibus* adſtipulatur, dicens: *Eodem* (anno nempe ducenteſimo ſexageſimo quinto) *obiit Jacubus Soffar, filius Leiſi, decimo nono die menſis decimi, Giundiſaburæ, in Ahwaza, e torminibus, ſpreto medicorum conſilio, qui injecta clyſtere portione ſubducendam alvum ſuaſerant.*

Accidit, ut — — Chaliſæ legati adventantes reconciliationis literas — — adferrent. Pag. 22. lin. 7.

Ejusdem rei *Abulfeda* quoque poſt ea, quæ paulo ſupra allata ſunt, his verbis mentionem infert: *Eodem ipſo tempore miſerat Motamid cum legato literas, quibus ipſum* (Jacubum) *delinitum blandis verbis, ſibique conciliatum, & ab Yraka, quam adorturum minabatur, averſum ibat. Sed magnum procul dubio malum manebat Chalifam, ſi vir ille diutius ſuperfuiſſet. Nam, ut legato teſtatam animi ſui conſtantiam faceret, advocabat eum jam æger, & monſtrabat, quæ coram exponi juſſerat, gladium, & atrum panem hordeaceum*

deaceum, furfuribus nondum purgatum, & cepas, mandabatque hæc ſuo nomine ad herum ejus, Chalifam renuntianda. Si mori quidem ſibi contingat e præſente morbo, futurum, ut eo ſui otium Chalifæ fiat, metusque eximatur. Quod ſi vero cum bona valetudine in gratiam redeat, nullum fore arbitrum, qui cauſſas ſibi communes dirimat, præter eum, quem monſtrabat, gladium. Aliter, quam bello, decerni non poſſe, cujus fortunam ſi tam habeat adverſam, ut victus a Chalifa fortunis omnibus excidat, decreviſſe ad priſtinam frugalitatem, ad panem illum atrum, & cepas, redire.

Pag. 22. lin. 20. *Princeps hic perſpicaciſſimi erat ingenii, ſolertiſſimus juſtitiæ, ac liberalitatis cultor.*

Principis hujus virtutes ab omnibus propemodum hiſtoriographis eximia laude exornantur; Sic *Emir Jahjai* dicit: يعقوب بغايت زيرك و عاقل بود و سياست و سخاوتي بكمال داشت *Jacubus perquam verſatus, & prudens erat, ſummus item æquitatis, & liberalitatis cultor.* Et paulo poſt: هيچ كس را وقوف در اسرار او نبود و باكس مشورت نكرد *Neminem arcanorum ſuorum participem reddebat, neque cum aliquo conſilium inibat.* Illum porro *Abulfeda* ait, fuiſſe *excelſi animi virum; urbem enim Segeſtanicam Rokagi cum cepiſſet, cogebat incolas fidem Moslemicam profiteri, occiſo ejus principe, qui eo proceſſerat arrogantiæ, ut in aureo ſolio reſidens Deum ſe jactaret. Prudens etiam & ſolers erat Jacub, quamvis ignobili uſus naſcendi ſorte.*

Præter ea, quæ ab hiſtoricis iſtis celebrantur, mira quæque de *Jacubi* geſtis in aliis paſſim libris reperiuntur. Utque cetera prætermittantur, in libro, quem de *moribus proborum* inſcripſit *Huſeinus* ille *Waiz*, ſeu *præco*, alias jam nominatus, inter alia capite decimo tertio hæc leguntur: يعقوب ليث در بدايت حال خودرا در مهالك افكندي و خطرهاي كلي را اختيار كردي از آسايش نفس بر طراف و از كشيدن مشقتها يك نفس نيآسودي اورا كفتند تومردي روي كري ترا باعث بر اين همه جفا كشيدن چيست كفت مرا دريغ مي آيد عمرعزيز خودرا در اصطلاع روي و مس صرف كردن و روي توجّه به پيشهٔ كه

که در آن شریك بسیار باشد آوردن جدّ من در آنست و جهد من براي آن
که خودرا بمرتبهٔ رسانم که کسي از ابناي جنس من بامن شریك نباشد
کفتند این مهمّي بسیار صعب است و کاري بغایت مشکل کفت من
دانسته ام که شربت مرک چشیدنیست و بار فنا و فوات کشیدن آنکه
در کار بلند تلف شوم به ازآن که در کاري پست بمیرم لاجرم بدین جدّ و
جهد رسید بدآن منصب ارجمند *Jacub Leiſius in operum ſuorum primordio pluribus ſe expoſuit periculis, ea cumprimis deligens, quæ cum magno diſcrimine conjuncta erant. Omnem animi quietem ſpernebat, atque nunquam prætermittebat, rebus arduis ſe corroborare. Hinc, cum illi diceretur: tu, faber ærarius cum ſis, quid eſt, quod tantis te periculis exponas? retulit ille, dolerem ſane, pretioſam vitam in exercenda arte æraria conſumere, atque ea in re reliquos dies ponere, ubi mihi plures ſunt ſocii; ego ad id potius enitor, idque ago, ut ad eum gradum perveniam, cujus nullus æmulus eſt. Ad hoc, cum reſponderetur, difficile hoc eſſe coeptum, multisque impedimentis involutum; novi equidem, repoſuit, hoc idem eſſe, ac mortem deguſtare, atque ad regiones alterius mundi iter inſtituere; verum, melius eſt in magnis coeptis perire, quam in humili opere vitam finire. Tantis igitur auſis, conatibusque ad tam eximium gradum ſibi viam ſtravit Jacubus.*

Præterea ligneum ſuggeſtum confici curavit. Pag. 23. lin. 4.

Quæ *Mirchondius* de *Jacubi* ſuggeſtu, ac prætorianis ejus narrat, eadem *Emir Jahjai* hiſce verbis breviter perſtringit: و بر تخت بولند
چوبین که بر همه لشکر مشرّف بود نشستني و انچه از اوضاع لشکر در نظر
ناپسند بودي تغییر فرمودي در هزار مرد جلدرا هریکي جماقي زرین داده
بود که هریک ازآن یک هزار مثقال وزن داشت *Inſedit nonnunquam Jacubus magno ligneo ſuggeſtui, ex quo totum exercitum conſpicere poterat, & quidquid illi in militum geſtis diſplicebat, confeſtim mutari juſſit. Mille prætorianos habebat, quorum quisque aureum manu fuſtem gerebat, ponderis mille miskal.*

 Refe-

Pag. 23. lin. 27. & seq. *Referebatur, Abu Jusuf, Jacub, Ibn Sofian, Chalifam Osmanum, filium Ufan, convitiis petere.*

Ex præsenti *Mirchondii* narratione palam fit, *Abu Jusufum* a Vezirio aperte eam ob rationem apud *Jacubum* principem defensum esse, quod nullis Chalifam diris impetierit, sed sanguinis tantum conjunctionem eum inter, & *Mohammedem*, Musulmanicæ religionis institutorem, in dubium revocarit; quod quidem historiographi, *Mohammedis* genealogiam texentes, neutiquam admittunt; erat enim *Osmanus*, ut *Elmacinus* advertit: بن عفان بن ابي آلعاص بن اميه بن عبدشمس بن عبدمناف *filius Afani, filii Abulasi, filii Omiæ, filii Abduschemsi, filii Abdulmenafi*; porro *Abdulmenaf* iste secundum generis seriem, a *Relando* in *tractatu de religione Mohammedanica* descriptam, quartus *Mohammedis* avus erat. *Herbelotius*, de eadem lite, coram *Jacubo* agitata, narrans, rem, nescio, qua de caussa, paulo aliter exponit; Vezirium enim ea potissimum excusatione usum fuisse, inquit, quod *Abu Jusufus* sententiam istam nonnisi historice protulerit. Scholam hoc aliquantulum sapere, nemo non videt: scilicet, sin minus consilii, fati certe esse videtur, ut viri docti haud raro tanquam ex cathedra pronunciare ausint, atque, si quid minus arrideat, privatas etiam suas opiniones aliis obtrudere nil pensi habeant.

Pag. 24. lin. 6. & seq. *Omnes, quibus imperio potitus est Jacubus, undecim anni fuere.*

Ad numerum annorum, queis regno *Jacubus* præfuit, quod attinet, huic & *Emir Jahjai* plane consentit, ita enim ille: مدّت سلطنت يعقوب دوازده سال *Tempus, quo Jacubus imperium tenuit, erat duodecim annorum.*

Defun-

Defuncto Jacubo Leisio, frater ejus, Amru Leis, imperio potitus, legatos ad pedes throni Chalifæ misit. Pag. 24. lin. 9. & seq.

Amrum Leisium in principatu successisse, atque anno quidem ducentesimo sexagesimo quinto a Chalifa confirmatum esse, *Moslemici Abulfedæ annales* sequentibus verbis fidem faciunt: *Rebus humanis tandem exemto* (Jacubo) *succedebat frater, Amru, filius Leisii, qui, quam primum ad imperium accedebat, obsequium per literas Chalifæ deferebat, comitatisque præmium, præfecturas Chorasanæ, Isfahanæ, Segestanæ, Sendiæ, & Kermaniæ ferebat, a Mewfikio, Chalifæ fratre, & per orientem legato, qui mandatæ codicillos auctoritatis, & chlamydes mittebat.* Nec minus *Emir Jahjai*, hunc, mox a fratris morte imperium capessivisse, publicisque precibus *Bagdadi* a Chalifa cohonestatum fuisse, scribit; verba illius hæc sunt: و کار او عروج تمام یافت بر خراسان و عراق و فارس و سیستان و قهستان و مازندران و غزنه مستولي شد و در بغداد بنام او خطبه کردند و پیش از آن در خطبه جز نام خلیفه در دعا ذکر نکردندي *Attigit felicitas Amru Leisii summum fastigium; Chorosanam quippe, Yrakam, Kermaniam, provinciam Fars, Sistaniam, Kuhestaniam, Mazanderanam, Ghaznam suo imperio subdidit; quin Bagdadi etiam in publicis precibus mentio nominis illius fiebat; id quod antea soli Chalifæ reservatum erat.*

Ipse vero Kazwinum — — contendit. Pag. 24. lin. 17.

Kazwin, ut *Hagi Chalfe* in *opere geographico* memoriæ prodidit, provinciæ *Yraki ægem* metropolis, a *Nassireddino*, aliisque geographis ad *Persiæ* provinciam بلاد آلجبل *biladül-gebel* refertur, a *Nassireddino*, & *Ulughbegio* sub longitudinis gradu 85., & latitudinis 37. collocata. Sunt, qui volunt, teste *Golio* in *notis ad Alfraganium*, urbem *Kazwin* veterum esse *Arsaciam*, ab *Arsace*, sive *Scytha*, sive *Bactriano*, regni *Parthici* conditore, *Parthis* ita dictam, nam apud *Græcos*, *Ragejam* compellatam esse, *Strabo* libro

 unde-

undecimo contendit. *Hağī Chalfe*, *Hemdalahii*, ſcriptoris *Perſæ*, patria *Kazwinenſis*, auctoritate nixus, *Schaburum*, filium *Erdeſchirii*, atque *Perſidis* monarcham, ubi *Græci* imperatoris vinculis exemtus eſſet, urbem hic loci extruxiſſe aſſerit.

Urbis hujus torrentes, ſolutis nivibus potiſſimum, & imbribus nati, æſtivo tempore rariores ſunt, ſin vero creſcere eos contingat, magna ſæpe vicinis domibus pericula minantur. Omnis propemodum generis fructus, ſed uvæ inprimis, & pepones gratiſſimi hic loci odoris ſunt, cameli quoque earum partium majorem in modum celebrantur. Poſtremis hiſce ſeculis urbs hæc *Perſiæ* regum, præcipue *Schah Tamasbi*, & *Schah Abbaſii*, ſedes erat; plurium itidem, & doctrina, & ſcriptis clarorum, ac nobilium virorum patria fuerat, in quibus apprime memorandi doctus ille antiſtes رافعي *rafÿi*, & زكريا بن محمود *zekeria ben mahmud*, auctor libri, *de admirandis rerum creatarum* inſcripti, laudatus item jam ſupra حمد آللة بن ابو بكر بن احمد *hemdallah ben ābū beker ben āhmed*, qui annales تاريخ كزيدة *tārīchī kuzīde*, i. e. *chronicon ſelectum* contexuit.

Pag. 24. lin. 21. & ſeq.

Quo devicto primum Iſtacharum.

Iſtachar urbs antiquiſſima, ad provinciam *Fars* nunc adnumerata, *Naſſireddini*, & *Ulughbegii* conſenſu longitudinis gradum 88. 30′, latitudinis 30., aſt ſecundum *Hağī Chalfe* eundem quidem latitudinis, longitudinis vero 88. cum dimidio obtinet. *Abulfeda* brevem hanc urbis iſtius exhibet deſcriptionem: من اقدم مدن فارس و بها كان سرير آلملك في آلقدم و بها اثار عظيمة من آلابنية حتي يقال انها من عمل آلجنّ *Eſt ex antiquiſſimis Perſidis urbibus, fuitque in ea olim imperii ſedes, ac ſuperſunt ibidem rudera eximia ſtructurarum, adeo, ut feratur vulgo dæmonum eſſe opus.*

Cum vetuſtiſſima ibidem ingentium ſubſtructionum rudera viſantur, mira quæque de urbis conditoribus, ejusque poſſeſſoribus narrantur: cujusmodi illa eſt *Hağī Chalfe* in *opere geographico* relatio, ab antiquiſſimo *Perſidis* monarcha urbem hanc condi coeptam,

atque

atque filii nomine compellatam esse, a rege *Huschenkio* dein magnis incrementis auctam, *Gemschidii* demum opera metam attigisse. Urbem præterea cum districtu ad eam pertinente in planitie explicatam, tantæ tunc temporis molis fuisse, ac amplitudinis, ut longitudo ejus ad quatuor, latitudo ad decem facile parasangas patuerit. Hinc, præter quatuor fortissima munimenta, fata, & vicos complures in ditione urbis huius conclusos fuisse, nonnulli asserunt.

Hodie præter ruinas nil admodum conspicitur, in quibus rudera illa جهل مناره *gihil minare* i. e. *quadraginta turres* dicta, reginæ هماي *hümāi*, filiæ بهمن *behmen*, palatium fuisse, dicuntur, licet altiorem alii, & sanctiorem structuræ hujus originem quærant, in quibus *Zekerija ben Mahmud* eminet, qui in libro عجايب المخلوقات *ægaibül-mahlukat* has ædes Salomonem incoluisse, prædicat, ait enim: دار الملک سليمان است عليه السلام و لشکر گاه وي بود و در بارگاه اصطخر سرابردهٔ وي بود هزار ميخ زرين باهزار طناب ابريشين و صد طبل زرين بنوبت زدندي *Erat regia Salomonis, supra quem pax, ubi cum exercitu consedit, & ante aulam suam tentorium expandit, quod mille funibus, ex serico contortis, in mille palis, auro conflatis, firmatum erat, certisque vigiliarum interstitiis aurea tympana pulsabantur.* Plures hac de re fabulas contexit auctor, quæ tamen haud majorem fidem merentur, atque illæ, hic loci olim in medium a quodam *Bedik* allatæ, qui hujuscemodi commentis aulam *Persicam* depingere adlaborabat. Verum quis decantatis hujus generis fabulis aures præbeat?

Ab اصطخر *istachar*, quæ apud *Græcos* passim *Persepolis* audiit, uno circiter milliari Africum versus *Bendamir* fluvius abest, *Araxis* nomine a *Curtio* descriptus, qui ea parte, ut *Golius* in *notis ad Alfraganium* innuit, ponte jungitur, qua iter est in *Choromitrenam*, & *Parthiam*, sive *Chorosanam*, a cujus nomine & ipse pons compellatur.

Pag. 24. lin. 24. & seq. *Quinquaginta minas musci, quinquaginta minas ambræ, ducentas minas ligni aloe.*

Cum frequentissimus ambræ, & aloe in oriente usus sit, præcipuum hæ locum in muneribus semper obtinent. De ambræ origine diversas orientalium traditiones, oppido fabulosas, legere est apud *Gentium* in commentatione ad sequentem versum, ubi *Sadi* ambræ præstantiam extollit:

گلي خوش بوي در حمام روزي * رسيد از دست محبوب بدستم
بدو گفتم که مشکي يا عنبر * که از بوي دلآويز مستم

Aliquantum terræ odoriferæ in balneo quodam die
Pertigit ex manu dilectæ in manum meam.
Illi dixi, tu aut muscus, aut ambra es,
Ex tuo enim odore, cor accedente, sum ebrius.

Idem *Gentius* in *notis ad rosarium politicum* aloe *Mendelinum* nobilissimum omnium, & bonitate ceteris longe præstantius esse scribit, cujus, prunis impositi, virtus maxime innotescit; quare *Sadius* in *eodem rosario politico* capite tertio, *Gentio* interprete, ita canit:

فضل و هنر ضعيفست تا ننمايند * عود بر آتش نهند و مشک بسايند

Præstantia, & ars inania sunt vocabula, nisi in forum producantur,
Aloe igni imponunt, muscumque terunt.

Pag. 25. lin. 10. & seq. *Zeid, filius Muchaled, — — ex urbe Waset versus Farsiam contendit.*

Waset واسط *Yrakæ Babylonicæ* urbs, inter *Bassoram*, & *Bagdadum*, a *Nassireddino*, & *Ulughbegio* longitudinis 81, & 30′. latitudinis 32. cum 20′. obtinere dicitur. Mediam urbem *Tigris* fluvius dirimit, ita, ut navali ponte jungatur. Anno hegiræ octogesimo quarto ab حجاج بن يوسف ثقفي *hæğiāğ ben jūsuf sakifī* extrui coepta,

coepta, ejusdem hegiræ anno octogesimo sexto ad finem perducta est. *Waset*, *medium* apud *Arabes* significat, quare hæc urbs *medi-urbium* apud nos compellari posset, cujus denominationis caussam ex *Hagi Chalfe* hic subjungere visum: سبب تسميه بودر كه بصره ايله كوفه‌نك وسطيدر و كذلك بغداد و كذلك اهواز ايله كوفه كه هر طرفدن اللي فرسخدر *Caussa denominationis hæc est: quod inter Bassoram, & Kufam media sit, quemadmodum etiam inter Bagdadum, Ahwazum, & Kufam, ita, ut omni ex parte quinquaginta parasangis distet.* Alia ratio nominis *Waset*, i. e. *media*, a *Golio* in *notis ad Alfraganium* a pago, hic itidem loci antehac sito, & واسط القصب *wasitül-kæsæb* i. e. *oppidum inter arundines*, dicto, repetitur. Hodiedum enim melioris notæ calami, seu arundines, queis ad scribendum uti solent orientales, his ex partibus petuntur.

Quæ res cum ad aures Mewfikii pervenisset, hic prius, quam Amru in Schiraz considere posset, eo movit. Pag. 25. lin. 20. & seq.

De omnibus, quæ *Mirchondius* hoc loco de Chalifæ, & *Soffaridarum* principis, *Amru*, lite, eorumque præliis refert, historici *Arabes*, aliique adhuc laudati auctores, altum silent. Id unum igitur monendum hic restat, ante hegiræ annum ducentesimum septuagesimum octavum hæc omnia accidisse, id, quod ex eo manifestum fit, quod *Elmacinus* hoc eodem anno *Mewfikium* e vivis excessisse dicat. Verba illius hæc sunt: و في سنة ثمان و سبعين و مايتين كانت وفات الموفق بالله يوم الاربعا احدي و عشرين من شهر الصفر و سيرته كان ميمون النقيبة صاحب راي و تدبير و سياسة و حزم و شهامة و كان شجاعا و سمحا *Anno ducentesimo septuagesimo octavo obiit Mewfikius billah, die mercurii, vigesima prima Saffari. Ad naturam ejus quod attinet, animo fuit forti, prudens, peritus regiminis, ac gubernationis, animosus, audax, fortis, & liberalis.*

Nam-

Pag. 25. lin. 27. & seq. *Namque in publicis precibus nominis Mohammedis, filii Zeidi, de gente Alidarum, mentionem fieri voluit.*

Hic *Mohammedes* ex *Alidarum* dynaſtia erat, quæ, ut jam pagina 98. indicatum eſt, in *Tabariſtana* ſedem fixerat. Hunc anno ducenteſimo ſeptimo, *Amru* imperium abdicare coacto, infelici morte occubuiſſe, *Abulfeda* in *annalibus Moslemicis* ad eundem annum hiſce verbis meminit: *Sic domiti Soffaridæ fama illectus, invadebat Choroſanam, prædæ, quam vacuam autumabat, inhians Mohammedes, filius Zeidi, Alida, Tabariſtanæ dominus. Verum acri prælio fuſus, fugatusque ab Ismaele Samanida, paucis poſt diebus, ab acceptis non paucis vulneribus expirabat. Filium ejus, Zeidum, nactus in acie captivum Ismael, honorifice tamen habuit, & rurſus in libertatem dimiſit. Erat iſte Mohammedes, Alida, princeps ingenii, morumque ſuavitate nobilis, pangebat carmina; & dignam laude vitam exigebat, divina miſericordia dignus.*

Pag. 26. lin. 3. & seq. *Turmam, ex Choroſan ad loca ſacra peregrinantem.*

Ex inſtitutionibus religionis *Mohammedanicæ*, cujus ſpecimen *Relandus* edidit, conſtat, in præcipuis quinque religionis capitibus poſtremum ordine eſſe ٱلْحَجّ *elhagg*, ſeu *peregrinationem* ad ſacram ſcilicet urbem; *eſt autem hæc peregrinatio* (teſte *Bobovio*) فرض *farz, ſeu præceptum divinum, & a Deo inſtituta; ideoque Moslemi eam ſemel in vita ſuſcipere, & Meccam inviſere debent. His tamen conditionibus, ut ſit liber, non ſervus; prudens, non fatuus; puber, non impuber; ſanus non infirmus; & ut habeat commeatum pro itu, & reditu victus, & vecturæ, quantum ſcilicet ipſi ſuperſit a neceſſitatibus aliis, & familiæ ſuæ ſuſtentatione uſque ad reditum. Mulieres quoque Meccam adire debent; ſed vel cum marito, vel cum parente, vel alio valde propinquo, qui ſit prudens, & puber, & non ſit Maguſæus, ſeu ignis adorator, neque vir ſceleſtus, & improbus, conductus ex penſis fæminæ.* Omnes porro ex omnibus terræ plagis populi, tempore, ex lege præſcripto, circa *Meccam* urbem

bem congregantur, & *Medinenses* quidem (eodem *Bobovio* auctore) *collocantur in loco dicto* جحفة *giæhfet; Yrakienses, & ipsis aggregati, in loco, dicto* ذات عراق *zāti ȳrak; Negdienses, & illis aggregati, in loco, dicto* قرن *karn; Jemamenses, & illis aggregati, in loco, dicto* يلملم *jelmelem.* Præter hunc insuper diversum ad diversa loca peregrinantium populorum confluxum id quoque notatu dignum, quod *Bobovius* initio tractatus hujus præmittit, nimirum: *una pars peregrinantium, scilicet Europæi, & Asiatici* (i. e. *Natoliæ* populi) *congregari solet in Damasco: altera pars, scilicet Africani, in Cairo: tertia in Zebid:* (*Arabiæ* oppido prope mare rubrum) *Arabum, & insularum Indiæ populi faciunt quartam: Persarum, & Chaldæorum, & Tatarorum Mogulensium, & ex Uzbek peregrinantes, conveniunt Babyloniæ in Chaldæa.* Et illud hic haud prætereundum, ob peregrinationem hanc, & jus sacrum templum ingrediendi sæpius *Persas* inter, & *Turcas* posterioribus temporibus lites subortas esse, ita, ut *Schah Nadirii* tempore in pace, cum *Turcis* postremum sancita, singulari articulo hac de re peculiaria quædam cauta sint.

Cum imperium — — Transoxanæ — — nomini Amru Leisii inscriptum esset. Pag. 26. lin. 5. & seq.

Transoxana regio, orientalibus ماوراءالنهر *ma werain-nehr*, id, *quod transfluvium est*, dicta, a *Persis* توران *tūrān*, a تور *tūr*, filio *Feriduni*, hujus olim regionis principe, nuncupatur, ut pluribus jam pagina 53., & seq. expositum est. Fines hujus provinciæ sunt ad occasum *Chorazmia*, ad ortum confinia *Indiæ*, ad austrum *Oxus* fluvius, qui a limitibus provinciæ *Bedachschan* usque ad limites *Chorazmiæ* eam terminat; *Oxus* enim ut plurimum ab ortu in occasum fertur, licet (teste *Abulfeda* in provinciæ hujus descriptione) hinc inde jam in orientem, jam in septentrionem magis deflectat. Ad aquilonem denique *Turkistaniam* contingit hæc provincia, binis insuper fluminibus جيحون *geīhūn* nimirum i. e. *Oxo*, & سيحون *seīhūn*, i. e. *Jaxarte* conclusa.

Hagi

Hagi Chalfe, a quo præfens defcriptio deprompta eft, eam in feptem تومنة *tumanet* i. e. *nomos* diftribui, ait, quorum finguli, eodem auctore, decem militum millia, ad bellum femper parata, numerat. بخارا *buchārā*, & سمرقند *samarkand* præcipuæ hic urbes funt.

Pag.26.lin. 20. & feq. *Mohammedem, filium Befchiri, — — cum exercitu adverfus Ismaelem, Samanidam, iis regionibus præfectum, mifit.*

Ismaeles Samanida, novæ dynaftiæ conditor, filius erat امير اسمعيل بن احمد بن اسد بن سامان *ēmīr ismāīl ben āhmed ben esed ben sāmān*, omnibus, queis *Soffaridæ* antea imperitabant, regionibus potitus. Verum, cum jam *Mirchondius* hanc rem diligentius pertractet, plura hic verba facere fupervacaneum fuerit.

Pag.27.lin. 1. & feq. *Ismael, trajecto quantocius Oxo, — — exercitum in aciem explicuit.*

Oxus fluvius, *Perfis* آب آمو *ab amu*, & alias جيحون *ġeīhon* etiam dictus, in ipfis adeo facris paginis jam celebratur, cum quaternis nempe iis fluminibus, in paradifo oriundis, adnumeratus. *Græcis*, & *Latinis Araxes* audit, qui, modo *Armeniæ*, modo *Scythiæ* litora oberrans, undis fubinde cum *Cyro* flumine conjunctis, circa 40. latitudinis, & 85. longitudinis gradum in mare *Cafpium* fe præcipitat, quemque *Arianus* libro 8. de expeditione *Alexandri* in maximorum *Afiæ* fluminum numero ponit.

Araxis nomine in geographia itidem *Mofis Choronenfis* occurrit, quo auctore, *Armeniam* majorem ad auftrum terminat; hujus autem *Armeniæ* limites, quo & verba ipfius adjiciamus, hunc in modum, *Whiftonio* interprete, *Mofes* defcribit: *Armenia major ab orientali Cappadociæ, & Armeniæ minoris parte apud flumen Euphratem, prope Taurum montem jacet, qui ipfam a Mefopotamia dividit; a meridie a Syria continetur, & fe præter Atropatiam, & Mediam flectens, ufque ad eum locum pertinet, quo Araxes in*

Cafpium

Caspium mare influit. A septentrione Albaniæ, Iberiæ, atque Egeriæ fines contingit, atque ad eum locum patet, quo Euphrates meridiem versus inflectitur.

Amru — — viam denuo ab Indo fluvio repetiit. Pag. 27. lin. 16. & seq.

Indus fluvius nonnullis orientalibus آب هند *āb hind*, *Persis* vero præcipue پنج آب *peng̃ āb* i. e. *quinque fluvii* nuncupatur, cujus etiam nominis *Teixeira* in *relationum suarum* libro primo capite 22. mentionem facit, ipsam etiam provinciam eodem nomine præditam esse, affirmans, propterea, quod quinque ibi flumina conjungantur. *Græcis* item antiquis, & *Latinis Indi* nomine notum fuisse hunc fluvium, *Livius* historiarum libro quadragesimo quinto capite 9. manifestum facit, inquiens: *Arabas Hind, Indiamque, qua terrarum ultimus finis rubrum mare amplectitur, peragravit;* nec minus *Curtius* libro octavo, capite 9. *Indum, & Gangem in rubrum mare se exonerare* scribit.

Plura hoc flumen animalium rapacium genera, ut crocodilos, incolere *Hag̃i Chalfe* literis consignavit. Ex *Keśmiræ* denique montibus effusus *Indus*, in suo cursu viginti, & amplius flumina absorbet.

In *nonnullis historicis perhibetur — — Ismael Samanida a Moatesido Chalifa — — inductus fuisse, ut cum decem virorum millibus — — Oxum trajiceret, bellum Amru Leisio illaturus.* Pag. 27. lin. 28. & seq.

Samanidarum familiam jam ante *Ismaelem* Chalifarum auctoritate *Transoxanæ* provinciæ præfuisse, *Emir Jahjai* contendit: در سنهٔ احدي و ستين و مايتين معتمد خليفه تمامت ماوراء النهر بنصر بن احمد بن اسد بن سامان تفويض نمود و چون در سنهٔ تسع و سبعين و مايتين نصر در كذشت تمامت كار بر اسمعيل قرار كرفت *Anno ducentesimo primo Moatemididus Chalifa integram Transoxanæ provinciam Nasaro, filio Ahmedis, filii Esedi, filii Samani, tradidit; Nasaro vero an-*

no ducentesimo septuagesimo nono vitam cum morte commutante, summam rerum ejusdem provinciæ in Ismaelem transtulit.

Pag. 28. lin. 9. & seq. *Ismaeli, nullo profuso sanguine, cumulatam obtigisse victoriam, toto Amru Leisii exercitu in deditionem accepto.*

Anno ducentesimo octogesimo sexto ab *Ismaele* devictum fuisse *Leisium*, in *tabulis chronologicis* hisce verbis *Hagi Chalfe* innuit: انهزام عمرو بن ليث از اسمعيل بن احمد ساماني در جنك ماوراءنهر و اسير شدن او *Amru, filius Leisi, ab Ismaele, filio Ahmedis, Samanida, devincitur in partibus Transoxanis, & in captivitatem se dedere cogitur.* Contra *Abulfeda*, hæc adversus *Amru Leisium* ducentesimo octogesimo septimo anno ab *Ismaele* gesta esse, sequentibus affirmat: *Chorosana potiebatur Ismael, filius Ahmedis, Samanida, dominus Transoxanæ, debellato, & capto ejus, qui ad eum diem fuerat, domino, Amru, filio Leisi, Soffaro, qui a victore Bagdadum missus ad Motazadum, in carcerem fuit abditus, in quo peremptus est anno ducentesimo octogesimo nono.* Eundem hunc ducentesimum octogesimum septimum annum & *Emir Jahjai* affert, qui, qua ratione *Ismaelem* inter, & *Amru* debellatum sit, ita commemorat: عمرو طمع در خوزستان و عراق عرب كرد و با معتضد خليفه طريق منازعت سپرد اسمعيل ساماني را كه والي ماوراءالنهر بود بجنك عمرو أمر فرمود و امير اسمعيل از آب آمو كذشته با دوازده هزار مرد ببلخ آمد چون فريقين صف بيآراستند و طبل جنك فرو كوفتند اسب عمرو ليث نشاط كرد اورا در ربود وميان لشكر اسمعيل ساماني آورد و بي جنك كرفتار شد و اين صورت در منتصف ربيع الآخر سبع و ثمانين و مايتين واقع بود *Amru possessioni Chuzistaniæ, & Yrakæ Babylonicæ inhiarat, quam ob rem in lites cum Chalifa incidit; is enim Ismaelem Samanidam, provinciæ Transoxanæ præfectum, Amru Leisio bellum inferre jussit, qui, trajecto flumine Oxo, cum duodecim millibus militum Balcham pervenit; dum itaque, explicatis utrinque militum ordinibus, tympana pulsarentur, equus Amru Leisii subsilire primum, tum herum uno impetu secum rapere, & in inimicum Ismaelis Samanidæ exercitum inopinate inferre coepit, adeo, ut*

absque

absque ullo conflictu captivus redderetur. Id quod accidit ſub medio lunæ rebbiùlachir anni ducenteſimi octogeſimi ſeptimi.

Petitque, modicum quid ad comedendum ſibi pararet. Pag. 28. lin. 15.

Ejusdem hiſtoriæ cl. *Cardonne* ex نكارستان *nikāriſtān* i. e. *porticus, tabulis pictis exornata*, dicto, in ſua *literaturæ orientalis collectione* parte ſecunda meminit.

De obitu viri hujus varia narrantur. Pag. 29. lin. 17.

Abulfedæ de obitu *Amru* narratio paulo ſuperius pagina 140. allata eſt; *Emir Jahjai* vero de eodem hæc habet : اسمعيل عمرو ليث را مقيد بنزد خليفه فرستاد خليفه اورا محبوس كرد دو سال در حبس بود و در وقت وفات معتضد خليفه اورا در حبس فرامش كردند و از كرسنكي بمرد *Ismael Amrum Leiſium, catenis oneratum, ad Chalifam miſerat, qui eum in carcerem conjecit, in quo per biennium perſtitit, quoad nempe Motazidus Chalifa ſupremum diem obiret; tum demum ex oblivione neglectus, præ fame periit.*

In chronico itidem, fabrica mundi inſcripto, refertur. Pag. 30. lin. 8. & ſeq.

Ita chronicon iſthoc, a *Mirchondio* تاريخ بناكتي *tārīch binākitī* inſcriptum, compellari eo minus dubitandum, quod id & ipſa hiſtoriæ hujus verba, & laudati auctoris præfatio, ubi ſcriptorum, queis in concinnando opere uſus eſt, ſeriem enumerat, confirmare videantur; ſiquidem chronici iſtius auctorem in eadem præfatione hunc in modum indicat : فخرالدين ابي داود بن سليمان صاحب البناكتي *fachred-din ābī dāūd ben soleīmān* auctor *elbinākitī*, i. e. *fabricæ mundi.* Sane quam opportune accidit, ut, hiſce obſervationibus occupato, catalogus codicum manuſcriptorum orientalium, a *Fraſero* quondam *Londini* editus, in manus incideret, qui & auctorem, & inſcriptionem libri, quin ipſam etiam totius operis diſpoſitionem

fuſe exhibet. Ejus itaque verba, (quoniam id ad ipſa *Mirchondii* verba illuſtranda plurimum conferre cenſeam) ex *Anglico* in *Latinum* verſa, hic loci ſubjicere plane e re fuerit. Titulus codicis iſtius ita a *Fraſero* perhibetur: روضت آلالباب في تواريخ آلاكابر و آلانساب i. e. *Hortus ſpecioſus, exhibens hiſtoriam illuſtrium virorum, & eorum ſtematum.* Eodem *Fraſero* indicante chronici hujus auctor, qui Sultani *Abu Zeidi*, ex nepotibus *Gengiſchani*, ordine ſexti, tempore vixerat, ابو سليمان داود بن ابي فصل محمد بناكتي i. e. *ābū soleīmān daudus*, *filius abu fasl mohammed binakiti* compellatur; ex quo manifeſtum fit, *binakiti* hoc in titulo agnomen eſſe auctoris.

In ipſo porro opere hiſtorico genealogiæ primo patriarcharum, & prophetarum ab *Adamo* ad *Abrahamum* continentur, tum antiquorum *Perſiæ* monarcharum hiſtoria, quæ a *Cajamuraſo* inchoata, cum *Jezdegirdo*, filio *Schechriar*, ultimo ante inductum in *Perſiam* Islamismum monarcha *Perſiæ*, deſinit; hanc celebrium virorum, & clarorum iis temporibua philoſophorum notitia excipit, genealogia itidem, & nativitas, vitaque *Mohammedis* cum hiſtoria quatuor priorum Chalifarum, aut *Mohammedis* ſucceſſorum; cui duodecim *Imam*, ſeu antiſtitum, & reliquorum Chalifarum res geſtæ ad *Motezemum billah* uſque, ultimum ex *Abaſidarum* familia Chalifam, ſubjectæ ſunt. Mox variorum principum, qui in *Perſia*, & *Tataria* a primo uſurpatore, *Jacubo*, filio *Leiſii*, ad *Chawerſchahium* regnarunt, commemoratio hiſtorica ſequitur. Neque monumenta *Hebræorum* prophetarum, & regum *Iſraelis* deſideres, ſiquidem hæc a *Moſis* temporibus ad tempora regis ultimi *Mattina*, nominati *Nabonaſſar*, *Sedekias* in eodem chronico occurrunt, queis Chriſtianorum, & *Europæ* populorum hiſtoria cum genealogia *B. Mariæ Virginis*, a *Davide* deducta, ſubjungitur. Pari ratione in hoc chronico & eorum regum, imperatorum, & *Romanorum* antiſtitum annales reperire eſt, qui a tempore *Meſſiæ* ad annum hegiræ ſeptingenteſimum decimum ſeptimum vixere. His deſcriptio, & hiſtoria *Indiæ*, hujusque regum ſubnectitur, cum *Peſchtiv* rege coepta, cum *Alaiddino* vero terminata. *Chatajæ* porro hiſtoria a tempore *Nikupadiſchahii* ad *Altunchanum* deducta exhibetur, quocum *Gengiſchano*, ejusque ſucceſſoribus diuturna bella fuere, & quorum

tempus

tempus omne, quo *Chatajæ* præfuere, 42,875. annorum ſpatio, id teſtantibus propriis regni hujus hiſtoriographis, definitur. Sub finem res *Mogulenſium*, itemque origo *Gengiſchani*, hujusque expugnatio *Perſiæ* narrantur, atque omnia demum cum hiſtorica filiorum, & ſucceſſorum hujus notitia, ad vigeſimam quintam menſis *Schewal* diem anni hegiræ ſeptingenteſimi decimi ſeptimi deducta, terminantur.

Juſſerat Amrus quodam tempore exercitum ſuum ſe coram conſiſtere, arma, & equos luſtraturus. Pag. 32. lin. 8. & ſeq.

Eandem, quam *Mirchondius* alias inter hic refert, hiſtoriam *Perſa* quoque ille eruditus منلا جامي *menlā ğiāmī* in libro ſuo, بهارستان *behāriſtān* i. e. *tempus vernum* inſcripto, capite ſexto exhibet; verum minus caſte, quam *Derwiſchium*, in viris piis apud ſuos numeratum, deceat. Duo tamen tetraſticha, quin aures offendantur, adjungere hic licebit, queis poetarum more (& poetam enim inſignem fuiſſe, ex *anthologia Perſica* conſtat) maciem equi miris coloribus depingit. Primum itaque tetraſtichon ita habet:

زين لاغر اسبكي كه همانا نيافتنت ❋ جراز عظام جوهر تركيب او نظام

همچون خر عزيز عظام آمده بهم ❋ ليكن هنور كوشت نرو بيده از عظام

Hoc equello magis macilentus haud invenitur,
Præter oſſa nil illius pretioſam conſtitutionem format.
Quemadmodum oſſa aſini Mohammedis, dum iterum in unum conjungebantur;
Verum caro deſuper nondum creverat.

Ad verſus poſteriores intelligendos noſſe oportebit, Moslemis per manus quodammodo traditam eſſe opinionem, *Mohammedis* aſinum poſt centum annos a Deo ad vitam denuo reſuſcitatum, & in paradiſum translatum fuiſſe.

Alte-

Alterum tetraſtichon, quo macilentus item equus deſcribitur, hoc eſt:

لاغراسبي كه كر بجوبي * از كوشت درو نشان نيابي
از سر تا سم كر بكاوي * جز پوست بر استخوان نيابي

Ita macilentus equus erat, ut ſi perquiras,
Nullum veſtigium carnis in eo reperias;
A capite ad ungulam ſi illum excoriaveris,
Præter cutem ſupra oſſa nil invenies.

Hanc hiſtoriam ex *Giami* reddidit *Gallicam* cl. *Cardonne*, eamque, ſed magis verecundis adumbratam coloribus, *literaturæ Orientalis collectioni* inſeruit.

De eodem principe *Soffarida*, *Amru Leis*, & aliud, haud minus memoratu dignum, in *Saadi roſario politico* capite 1. legitur, ubi miles transfuga, Vezirii conſilio, morte plectendus, coram *Amru Leiſio* ita fari occepit:

هرچه رود بر سرم چون تو پسندي رواست
بنده چه دعوي حكم خداوندراست

امّا بموجب آنكه پروردهٔ نعمت اين خاندانم نخواهم كه در قيامت به خون من كرفتار آيي اكر بيكناه بندهرا بخواهي كشت باري بتأويل شرعي بكش عمرو كفت تأويل شرعي چكونه است كفت اجازت فرماي تا من وزيررا بكشم انگاه مرا به عوض بكش تا بحقّ كشته باشي

quod *cl. Gentius* ſic interpretatur:

„ Quicquid capiti meo acciderit, ſi tibi libuerit, fas erit:
„ Mancipium enim quomodo contenderit; cum domini ſit judicium?

Cum vero domeſticus ædium harum ſim alumnus: nolim profecto, ut in extremo reſurrectionis die, propter cruorem meum ad ſupplicium rapiaris. Si hunc ſervum tuum trucidare omnino volueris, tum ſaltem aliqua ſacri juris ſpecie, nomine-

que

que interficias: ne in extremo judicio supplicio afficiaris. Rex inquit: quænam est illa juris species? respondet ille: mihi permittas, primum proregem (Vezirium) *interficiam, deinde vindictæ illius de me supplicium sumas, ut me jure interfecisse dicaris.* His perterritus Vezirius, veniam rex militi concederet, rursus rogavit. Unde *Saadius* suo more finem historiæ peracuto disticho imponens ait:

چو تير انداختي بر روي دوشمن * حذر كن اندر اماجش نشستي

„ Dum sagittam in faciem inimici ejaculatus es,
„ Cave; nam pro scopo ejus te exposuisti.

Amru Leisio — — in captivitatem delapso, optimates, nobilioresque Sistaniæ viri Taherum ad thronum evexere. Pag.32.lin. 23. & seq.

Taherum aliquanto post hoc tempore, optimatum auctoritate, *Sistaniæ* imperium tenuisse, ex iis, quæ hic *ex Emir Jahjai* subjunguntur, plenius patet: طاهر بن محمد بن عمرو چون عمرو اسير شد خود بگريخت و به سجستان رفت اركان دولت اورا بپادشاهي نشاندند *Taherus, filius Mohammedis, filii Amru, postquam Amru in captivitatem delapsus esset, se se fuga subripuit, in Sistaniam se recipiens, ubi ipsum regni proceres regem constituere.*

Chronicum, series rerum nuncupatum. Pag.33.lin. 10.

Mirchondius in prolegominis, ubi auctorum, quorum testimonia affert, seriem texit, chronici hujus conditorem ابو الفرج بن الجوزي *abuül-fereğ benül-ğiuzi* appellat, quem *Herbelotius Abulfaragium*, filium *Ali*, filii *Giuzi*, nominat, qui anno hegiræ quingentesimo nonagesimo septimo vita functus est. Summa hujus doctrina præcipuam laudem habet; atque *Omaddidinus* quidem, neminem facile tot, tantisque momenti rebus coram adfuisse, memorat; hunc utpote & *Saladinum* illum, nostratibus minime ignotum, & alios ejusdem familiæ principes in bellicis ipsorum expeditionibus comitatum fuisse.

In catalogo bibliothecæ Sultan *Osmani*, ad usus publicos nunc admodum *Constantinopoli* patentis, & illius, penes celebre illud fanum *Aja Sofia* dictum, تاريخ ابن جوزي *tārīchi ībnī giūzī* nomine invenitur. In altero item catalogo bibliothecæ, quam Sultanus *Abdulhamid*, hodierna die imperio *Ottomanico* potitus, inde ab anno hegiræ millesimo centesimo nonagesimo quarto (id est anno Christi millesimo septingentesimo septuagesimo nono) publici juris *Constantinopoli* fecit, uti jam supra dictum, præfati auctoris his verbis mentio fit: مدهش لابن الفرج الجوزي بخط الرقعة i. e. *relationes singulares Abulfaragii elgiuzi, literis, quæ apud orientales Rikʿæ audiunt, exaratæ.*

Pag. 34. lin. 9. & seq. *Anno ducentesimo nonagesimo sexto, Taherum inter, & Segberum — — exortæ lites bello tandem compositæ sunt, in quo Taherus succubuit.*

Ad annum, hic allatum, quod attinet, *Hagi Chalfe* in *tabulis chronologicis* his verbis *Mirchondio* plane assentitur: انهزام طاهر صفّاري در جنک سنكري در فارس, *Taherus, Soffarida in prælio, cum Senkeri inito, in provincia Fars devincitur.* Non uno tamen modo libertum *Amru* appellant: سكبري *sekberi* enim *Mirchondius*, contra *Hagi Chalfe* سنكري *senkeri* scribit, ut adeo haud equidem liqueat, uter erroris insimulandus sit.

Pag. 34. lin. 14. & seq. *Tempus regni Taheri sex annorum nonnisi spatio definitum fuisse.*

In hoc regiminis tempore multum differunt inter se *Mirchondii*, & *Emir Jahjai* sententiæ. Ita enim posterior: بعد ازيك سال اسمعيل ساماني بر طاهر هجوم كرد و ببستد و ايّام دولت صفّاريان بتمام شد *Post annum Ismaeles, Samanida, ipsum bello lacessens, captivum fecit, atque hoc ipso tempore regnum Soffaridarum ad finem pertigit.* Ast licet epitomator noster suæ hic de familia *Soffaridarum* historiæ finem imponat, nonnullos tamen ejusdem domus principes & posthac imperium tenuisse, ex iis, quæ, ex *Mirchondii* historia excepta, superius allata sunt, satis, superque comprobatur.

Alium

Alium quempiam, nomine Leisium, filium Ali, filii Leisii, *simul cum fratre Maadil per dies aliquot potentiam quampiam, & regni fastum ostentasse.* Pag. 34. lin. 17. & seq.

Paulo diversa in *epitome Mirchondianæ historiæ universalis* videre licet; hujus siquidem auctor, ubi familiæ *Soffaridarum* historiam cum *Tahero*, filio *Mohammedis*, filii *Amru Leisii*, terminat, brevem itidem de binis iis principibus, *Leisio* nimirum, filio *Ali*, & *Maadil*, quorum exigui temporis imperium fuerat, mentionem injiciens, in eo pariter a *Mirchondio* differt, quod *Maadilum* affinem *Leisii* nominet, *Mirchondius* contra hos ambos principes fratres fuisse asserat; sed jam ipsa laudati epitomatoris verba subjicere lubet: باتّفاق اكابر و اعيان طاهر در سيستان بعد از كرفتار شدن عمرو پاي برتخت حكومت نهاده در سنهٔ تسع و ثمانين لشكر بر فارس كشيد و بر آن ديار استيلا يافته بجانب سيستان باز كشت و در تسعين و مايتين سنكري غلام عمرو بن ليث بر طاهر خروج كرده مهمّ بمحاربه انجاميد و سنكري غالب كشته طاهررا با برادرش اسير كرده بدار الخلافت فرستاد مدّت سلطنت طاهر شش سال بود و بعد از انقضاء حكومت او برادرش معدل وعم زادهٔ ليث بن علي ليث جند روز كرّ و فرّي كردند امّا هيچدم بپادشاهي نرسيدند *Unanimi consensu procerum, & primorum regni, capto Amru, Taherus Sistaniæ thronum conscendit. Anno octogesimo nono exercitum in provinciam Fars ducebat, &, expugnatis illis tractibus, Sistaniam versus pedem movit. Anno ducentesimo nonagesimo Sengerus, libertus Amru, filii Leisii, contra Taherum seditionem movit; res igitur ad pugnam devenit, ubi Sengerus victor Taherum, cum fratre captum, Bagdadum ad Chalifam transmiserat. Erat autem tempus regni Taheri sex annorum. Finito Taheri regimine, frater illius Maadilus cum affine Leisio, filio Leis, potentiam quampiam, & regni fastum per aliquot dies ostentarunt; verum nullo unquam tempore ad ipsum regnum pervenerunt.* Hæc ipsa ceterum videri possunt in laudato codice manuscripto, qui bibliothecæ nunc Cæsareæ, olim vero, ut ex nova *Lambecii* editione tomo primo, pagina 375. apparet, *Tengnaglianæ* collectionis fuerat, cujusve & *Schikardus* in *Tarich* suo ad paginam 51. meminit.

Pag. 35. lin. 20. & seq. *Amru itaque, ad regnum evectus, Manſurum, filium Iſhak, catenis vinctum, arce concludi juſſit.*

Eundem hunc annum tercenteſimum, quo *Amru*, filius *Jacubi*, rerum in *Siſtania* potitus eſt, *Hagi Chalfe* etiam indicat, dicens: استولى عمرو بن يعقوب صفّاري بر سيستان و محصوري او از آل سامان *Amrus, filius Jacubi, Soffarida, Siſtaniam occupat, verum poſtea a familia Samanidarum obſidione premitur.*

Pag. 36. lin. 12. & seq. *Cum Amru, filio Jacubi,* Ebni *Chafarum ſecum Buchăram duxerat.*

Hagi Chalfe ſcribit, *Soffaridarum* regnum anno tercenteſimo quinto intercidiſſe: انقراض دولت صفّارية در خراسان *Definit regnum Soffaridarum in Choraſana.* Minime vero dubium eſt, *Choroſanæ* nomine non omne illud *Choroſanæ* regnum hic intelligi, cujus *Ismaeles* jam maximam multo ante partem occuparat, ſed alias potius nonnullas provincias, ad *Choroſanam* referri ſolitas, atque, ut *Mirchondii* verbis utar, *Diwano Samanidarum* poſtea inſcriptas.

Buchara, ex præcipuis *Transoxanæ* provinciæ urbibus, ſecundum *Golium* in *notis ad Alfraganium* magis ad occidentem vergit, ſi climatis ſeriem ſpectes, quam *Balcha*, & *Samarkanda*. Idem longitudinis gradus ab *inſulis fortunatis* 96. & 50′. latitudinis vero 39. & 50′. numerat; *Naſſireddinus* vero totidem longitudinis, latitudinis autem 39. gradus, & *Ulughbegius* denique longitudinis gradus 96. 30′. latitudinis 39. 50′. urbi huic tribuunt. In planitie poſita, undequaque pratis cingitur, quodque ad loci amoenitatem addit plurimum, diverſis etiam æſtivis vicinia omnis exornata eſt. Urbi ipſi pulcherrima ædificia, & vaſtus murus, per quem ſeptem portæ patent, ſplendorem afferunt. Territorii urbis & longitudo, & latitudo ſimul duodecim paraſangas efficit.

Inde quoque egregiam hæc urbs adepta eſt gloriam, doctiſſimorum quod virorum patria ſit, in quibus cumprimis *Avicenas*

fama

fama inclitus eſt. Suburbium fluvius صغد *soghd.* hortos, (ut *Golius* dicit) & agros rigans, præterlabitur. Hic vero *Soghdus*, ejusdem provincia *Soghdiana* nominis fluvius, eodem *Golio* teſte, una cum ceteris aquis in montoſa, ac frigida *Ferganæ* parte, بتم *butum* dicta, & novem a *Buchara* dierum itinere disjuncta, naſcitur. Urbis hujus in oda ſecunda *Hafizius* meminit, ubi canit:

اكر آن ترک شيرازي بدست آرد دل مارا
بخال هندويش بخشم سمرقند و بخارارا

Si formoſus ille Schirazius in manus ſumeret cor meum (gratum haberet)
Nævo ejus nigricanti donarem Semerkandum, & Bucharam.

Cui diſticho (uti *L. Baro Revicz kius* ex *Sudio* refert) *Tamerlanus* occaſionem dederat, ægre ferens, ſe, non æque, atque alios reges carminibus ab *Hafizio* celebrari.

Hac ratione regnum Nimruz in numerum provinciarum, quæ a Diwano Samanidarum pendebant, iterum adſertum. Pag. 36. lin. 13. & ſeq.

Pagina 79., ubi *Siſtaniæ* mentio facta eſt, additum eſt نيمروز *nīmruz* quoque nomine hanc ipſam provinciam intelligi; quamquam *Herbelotius* hoc nomine una cum *Siſtania* etiam provinciam مكران *mekran* comprehendi velit, propterea, quod utraque provincia, ſi reliquam *Perſiam* ſpectes, *auſtralis* ſit, id quod نيمروز *nīmruz* reapſe ſignificat.

Vocabulo ديوان *dīwān* duplex apud orientales ſignificatio eſt: *prima*, poetis familiarior, collectionem indicat variorum poematum, quæ, ſervata ſimili terminatione, ſeu rythmo, ſecundum ſingulas alphabeti *Arabici* literas in ordinem digeſta ſunt; *altera* autem notio conſeſſui, vel ſenatui tribuitur, ubi & publica apud orientales negotia curantur, & annui uniuscujusque provinciæ ſumptus, fructusque computantur. Quare *Mirchondius* id unum per *Diwanum Samanidarum* hic innuit, capto nimirum *Amru*, expugnataque *Siſtania*,

ſtania, provinciæ hujus negotia rurſus ad *Samanidarum* familiam revoluta, atque ab hac uſque eo adminiſtrata fuiſſe, dum *Chalefus*, ut idem *Mirchondius* paulo poſt ſubjicit, publicas preces ſuo nomine fieri juſſerit. Quod poſt quinquaginta circiter annorum intervallum accidit, cum ابو صلح منصور بن نوح *ābū saleh mansūr ben nūh*, e *Samanidarum* dynaſtia princeps, imperium obtineret.

Pag.36.lin. 21. & ſeq. *Hiſtoriographi nonnulli aſſerunt, Chalefum, Jacubi, Leiſii filii, nepotem fuiſſe.*

Quamquam omnes conſentiant, *Chalefum* e *Soffaridarum* familia oriundum fuiſſe; avus tamen illius quisnam fuerit, in diverſum trahunt auctores, quorum nonnulli a *Jacubo Leiſio*, alii ab *Amru* genus illius repetunt. Hinc in re tam dubia haud licuit, dum pagina 107. gentis hujus ſeries exhiberetur, certi quidquam ſtatuere; atque adeo prætermiſſa illa linea, qua ſtirpis hujus cum capite ſuo conjunctio indicanda erat, ſeparatim *Chalefi*, ejusque patris nomina deſcripta ſunt. *Hağī Chalfe*, cujus hiſtoria *Soffaridarum* jam prius pagina 108. allata eſt, duorum meminit *Chaleforum*, quorum pater *Ahmedis* unus, alter filius ejusdem fuerat.

Pag.36.lin. 22. & ſeq. *Ebni Eſir, celebris alias hiſtoricus, contendit.*

Hic idem ille auctor eſt, cujus librum: *abſolutum chronicorum opus* pagina 18. *Mirchondius* in medium adfert, & de quo jam pagina 113. plura commemorata ſunt.

Pag.37.lin. 2. & ſeq. *In libro, Mirabilia Hamadanenſia inſcripto, narratur.*

Mirchondii illud vocabulum: بديع همداني *bedȳi hemdāny* minus recte fortaſſis per *mirabilia Hamadanenſia* redditum eſt, cum nomen iſthoc, ſed male hic exaratum, auctoris ſit, quem *Herbelotius* (integrum enim hujus auctoris nomen hic ſubjicere placet) احمد بن حسين آلهمداني *ahmed ben huseinūl-hamadāny* eſſe dicit, cui cognomen

men بديع ٱلزمان *bedyūz-zemān* i. e. *mirabilia temporis*, vel potius, miraculum ſui ſeculi additum fuerit. Vir enim ſuo ævo eloquentiſſimus erat. qui librum مقامات *makamat* compoſuit, quem imitatus, ſuos poſtea conſeſſus *Haririus* elucubratus eſt.

Abulfethius, ex urbe Boſt oriundus, memorat, ſe in laudem Chaleſi tria concinaſſe diſticha. Pag. 37. lin. 11. & ſeq.

Abulfethius, teſte *Herbelotio*, eximius ſui temporis poeta fuit, ex urbe *Boſt* oriundus, cujus plenum nomen ابو ٱلفتح علي محمد ٱلكاتب *abūūl-fœthĭ ăly mohammedūl-kātib.* Auctor *Jeminii*, de quo paulo uberior mox ſermo recurret, rem eandem de *Abulfethio* tradit, ita tamen, ut, rem totam ex ipſius *Abulfethii* ore *Atibium* accepiſſe, appareat; ex cujus tranſlata in *Perſicum* narratione *Mirchondius* quoque relationem ſuam deprompſiſſe videtur. In eadem porro auctoris *Jeminii* tranſlatione & tria illa diſticha occurrrunt, quæ non exigua *Abulfethio* præmia attulerunt. Sed ipſius auctoris narrationem ſubjungere præſtat: عتبي اورده است كه شيخ ابو ٱلفتح بستي با من حكايت كرد كه وقتي مرا سه بيت در مدح خلف اتّفاق افتاد و در نيّت نبود كه بحضرت او تبليغ كنم امّا در افواه افتاد و بر زبان رواة بدو رسيد روزي ناگاه معتمدي ازاو در آمد و صرهٔ سيصد دينار زر سرخ پيش من نهاد بصلت آن ابيات و بر سرآن از زبان امير خلف عذر ما خواست و ابيات اينست

شعر

خلف بن احمد احمد ٱلاخلاف ✻ اربي بسودده على ٱلاسلاف
خلف بن احمد في ٱلحقيقة ✻ واحد لكونه مربي على ٱلالاف
اضحي لآل ٱلليث اعلام ٱلوري ✻ مثل ٱلنبي لآل عبد مناف

Atibius narrat: Scheichius Abulfethius, Boſtienſis, mihi retulit, ſe fortuito tria quondam diſticha in Chaleſi laudem compoſuiſſe, neque voluntatem ſibi fuiſſe, principi hos verſus offerendi; verum, quod publica

publici jam juris facti erant, in charta illi forte obvenerunt. Accidit igitur, ut die quadam fidus quispiam ad ipſum veniret, &, burſa cum tercentis denariis aureis ante illum depoſita, præter hoc donum excuſationem etiam principis Chaleſi nomine adferret. Verſus autem iſti ſunt :

„ *Chalefus*, filius *Ahmedis*, laudatiſſimus in proſapia ſua,
„ Auguſtior in dominatu ſuo prædeceſſoribus
„ Succeſſor filius laudatiſſimi juxta exactiſſimam veritatem
„ Unicus in ſuo genere, altor multorum millium
„ Clariſſimus de familia Leiſiorum, vir ſapiens in ſcientiis divinis
„ Similis prophetæ de familia *Abdu Menaf.* (indicatur hic *Mohammedes*, cujus quartus avus *Abdumenaf* fuerat)

In urbe *Boſt* بست vel ut in meis *Mirchondii* exemplaribus ſcriptum eſt بسط primam lucem aſpexiſſe *Abulfethium*, cum *Mirchondio Herbelotius* contendit. Cujus urbis deſcriptionem, a *Golio* prætermiſſam, ex *Hağī Chalfe* integram hic loci ſubjicere placet : بست
طقسان سكز بوچق طول اوتوز ايكي بوچق عرضده نهر هندمند كنارنده بر
شهر مشهور در سجستانده زرنجدن صكره بوندن معمور شهر يوقدر هواسي
لطيف عراق هواسنه و صوي فرات صوينه بكزر خلقي دخي اهل عراق
طوري اوزره در نعمتي فراوان ميوه سي چوق خصوصا خرماسي اجاصي
غايت ايو اولور اوزومي دخي وافر در جوامع و مساجدي و نهر مزبور اوزرنده
كميله جسري واردر فضلادن ابو الفتح بو شهره نسبت اولنور *Boſt ſub gradu 98. & medio longitudinis, 32. & dimidio itidem latitudinis gradu ad ripam fluvii Hindemend ſita, urbs perquam celebris eſt. Poſt urbem Zereng̃ hac ipſa, incolis magis frequentata urbs in provincia Seg̃eſtan haud invenitur. Aer perquam gratus Yrakenſi aeri ſimillimus eſt, itemque aqua Euphratis aquæ aſſimilatur. Ad mores incolarum quod attinet, ii ad eorum, qui in Yraka ſunt, quam proxime accedunt. Maxima porro ſui copia fructus dantur, ac cumprimis dactyli, prunaque, nec non uvæ optimi generis. Sunt ibidem majora æque fana, ac minores precationum domus, fluvius denique ponte navali inſtratus eſt. Inter viros, eruditione conſpicuos, originem ſuam ab hac urbe Abulfethius traxit.*

Anno

Anno tercentesimo quinquagesimo tertio Chalesus, filius Ahmedis, peregrinationem sacram peragens, Taherum, filium Huseini, — — vicario sui nomine gubernatorem Sistaniæ constituit.

Pag. 37. lin. 18. & seq.

Auctor *Jeminii*, quem hic unum *Mirchondius* sibi ducem delegisse videtur, (ut ex ipso orationis contextu manifestum fit) hic tamen discrepat, ad annum nempe quod attinet, quo suam *Chalesus* peregrinationem obiit, ut ex his verbis in propatulo est: خلف بن احمد پادشاه سیستان بود در سنهٔ اربع و خمسین و ثلثمایه بسبج حجّ کــرد و خلافت خویش درآن اعمال بطاهر بن حسین داد که خویش او بــود *Chalesus, filius Ahmedis, rex erat Sistaniæ. Anno tercentesimo quinquagesimo quarto ad peregrinationem sacram se accinxit, regnique administrationem iis in partibus Tahero, filio Huseini, tradidit, qui ex affinitate ipsius erat.*

Hic itaque Bucharam se convertens, Mansuri, filii Nuhi, opem implorabat.

Pag. 37. lin. 24. & seq.

Deceptum a *Tahero Chalesum* opem *Mansuri* implorare coactum fuisse, idem *Jeminii* auctor testatum facit, ubi ait: ودرغیبت او طاهر لشکر خلفــرا بفریفت و قلاع و خزاین او بادست کرفت و در پــادشاهی سیستان طمع مستحکم کرد و چون خلف باز کشت مملکت خــویش شوریده یافت و راه وصول بمقرّ خویش بسته دید بمنصور بن نوح سامانی آلتجا کرد و از و مرد خواست تا بمعونت و تقویت او ملک از تشبّث طاهر مستخلص کرداند *Et in absentia illius* (Chalesi) *Taherus, exercitu Chalesi decepto, munimenta provinciæ, & gazam sibi propriam reddidit, absoluto plane regni dominio inhians. Chalesus redux regnum suum turbatum reperit, quin interclusam sibi ad metropolim viam esse vidit; igitur ad Mansurum, filium Nuhi, confugiens, ab eo milites petiit, quorum ope fultus, ab usurpatione Taheri regnum liberaret.*

Celeberrimus e *Samanidarum* familia princeps الرضا ابو القسم نوح المنصور *er-rizā ābūūl-kæsem nūhūl-mansūr* pôst patris obitum solium conscendit, id, quod *Emir Jahjai* anno tercentesimo evenisse affirmat, ad quam sententiam etiam suam *Mirchondius*, & *Hagi Chalfe* cum *Abulfeda* adscribunt.

Pag. 37. lin. 26. & seq. *Taherus — — in Esferain interea temporis sese recepit.*

Urbs اسفراين *esferāīn*, alias etiam مهرجان *mihrigan* gradum longitudinis 91^mum^ cum dimidio, latitudinis 37^mum^ item cum dimidio in regione *Nischaburiensi* occupat. Nomen *mihrigan* i. e. *autumnus* ob eam potissimum rationem illi impositum est, quod suavissimus aer, fructumque abundantia perpetuum quasi tempe ibi efficiant; in ripa exigui cujusdam fluminis aquilonem versus arx posita est, haud ignobilis, cui quinquaginta omnino oppida subjiciuntur. Poma grati adeo saporis hic procreantur, ut circumquaque muneris loco mittantur. Tantæ vetustatis platani visuntur, ut inde a *Nuschrewani* tempore humi defixæ dicantur. Hæc descriptio potissima ex parte fide, & auctoritate *Hagi Chalfe* nititur.

Pag. 38. lin. 10. & seq. *Chalefus — — acri Huseinum in urbe, in quam se recepit, obsidione presserat.*

Chalefum, dimisso, quem secum primum deduxerat, exercitu, bello iterum a *Tahero* petitum, ad *Mansurum* denuo confugisse, ejusque ope *Huseinum*, patre *Tahero* vita functo, arcta obsidione pressisse, auctor *Jeminii* etiam pluribus hic exponit, ut sequitur:
خلف دیکربار از اضطرار روي بحضرت منصور نهاد و بدو پناهید و در استعانت و استمداد تضرع بسیار نمود منصور مقدّم او کرم داشت و در اکرام و اعزاز و اعتنا بمهمّات او مبالغت تمام واجب داشت و لشکر جرار بکفایت مهمّ او نامزد کرد و چون خلف با آن لشکر بسیستان آمد طاهر وفات یافته بود و حسین پسر او در مخالفت خلف قایمقام پدر شده و معاندت اغاز کرده و بحصني از حصون سیستان استظهار و اعتضاد ساخته و خلف اورا در حصار

حصار گرفت و بکرامات میان فریقین محاربت و مناصبت رفت وخلقي
بسیار از لشکر حسین در آن مصاف و معرك بقتل آمدند *Chalefus*, *ite-
rata vice neceſſitate compulſus*, *ad Manſuri aulam ſe convertit*, *præ-
ſidiumque ibidem quæſivit*, *opem intenſiſſimis precibus implorans.
Manſurus benignitate uſus*, *omnimode honorem*, & *comitatem*, &
ſummam etiam curam petitioni illius annuendi impendebat, *tantum-
que militum numerum*, *quantus hanc ad expeditionem neceſſarius
erat*, *iter cum illo ingredi juſſit. Hoc exercitu ſtipatus*, *dum in
Siſtaniam pedem Chalefus inferret*, *e vivis ſublatus eſt Taherus*, *re-
licto filio Huſeino*, *cui*, *Chalefo ut reſiſteret*, *in mandatis dedit.
Dum igitur hic inimicitiis hoſtilem in modum initium faciens*, *in quo-
dam Siſtaniæ munimento Chalefo ſe ſe opponere nitebatur*, *illum ipſum
in arce Chalefus obſidione premebat*, *ubi ſumma contentione in utra-
que parte acriter decertatum eſt*, *ita*, *ut in Huſeini exercitu plures
his in conflictibus vita privarentur.*

Elapſo nonnullo jam temporis ſpatio, *ex quo Chalefus impe-
rium recuperabat*, *ob ſummam perſolvendam*, *quam Bagdadum
annis ſingulis miſſurum ſe ſe obſtrinxerat*, *cauſſas
prætexere coepit.*

Pag. 38. lin. 22. & ſeq.

Jeminii auctor plures annos elapſos eſſe ſcribit, queis annuum pen-
ſum exacte ſolvebat *Chalefus*, & dum refractarium ſe oſtendebat, *Man-
ſurum* omnia tentaſſe prius, quam bello ipſum peteret; uti ex ſequen-
tibus pateſcit: خلف در ممالک خویش متمکّن بنشست و نفاذ حکم او در
نواحي سیستان بقاعد معهود و رسم مألوف باز رفت و برین حال سالیان
بسیار بگذشت تا طغیان نخوت و ثروت بر مزاج او استیلا یافت و حقّ
آن انعام دولت فراموش کردد و در انفاذ وظایف حمول و اتاوات بحضرت
بخارا تقاعد و الظاظ نمود و اورا بامثله و مخاطبات مشحون بانواع نصایح
و تعریف سوابق ایادي و عوارف تنبیه نمودند و او درسکوت طغیان و
نشوة عصیان بر عادت خویش مستمرّ دیدند و در افاقت واساس رشد و
و تشحیذ بصیرة مقصّر تا حسین بن طاهررا با جمعي از مشاهیر اجناد و جماهیر

انجاد

انجاد خراسان بخاصهت او فرستادند *Chalefus regnorum suorum possessiones adiit, atque mandato illius in omnibus Sistaniæ tractibus secundum pacta, regnique constitutiones accurate servabantur; jamque plures ita fluxere anni, dum denique fidem fallere, refractariumque se gerere, in animum inducebat, omnium, quibus cumulatus erat, beneficiorum oblitus, tributo etiam, quod solvere debebat, principi Bucharensi negato. Suggerebantur equidem bona illi consilia, & rationes; ast pertinaciter obsistens ille, nullo pacto ad obsequium pristinum reduci poterat, ita, ut Huseinum, filium Taheri, cum validissimis Chorosanæ copiis eo mitti necesse fuerit.*

Illud quoque hic notare opus fuerit, per errorem in versione *Latina* modo admodum hic allatæ ex *Mirchondio* sententiæ *Bagdadum* irrepisse *Bucharæ* loco, atque legendum esse: *quam* Bucharam *annis singulis se se missurum obstrinxerat.*

Pag. 38. lin. 28. & seq. *Verum Huseino cum milite Sistaniam ingresso, Chalefus in arcem Direk, munimentorum omnium validissimum, se receperat.*

Sistaniæ arcem درك *direk* esse, ex historico ipsius *Mirchondii* contextu elucet; nullus vero aut geographorum aut historicorum alter hujus mentionem ingerit, præter *Jeminii* auctorem, qui hanc arcem, in qua ab *Huseino* obsessus tenebatur *Chalefus*, ارك *erek* nominat, eamque perquam altum, accessuque difficillimum munimentum fuisse, pro more Orientalium, descriptione hyperbolis referta, hunc in modum testatur: مصاعد آن قلعه با فلک هم راز بود و با ملک هم آواز بسطح او سمک سماک مي بسود و ديده بان زمزمهء ملايک مي شنود و سحاب در حضيض او جامهء مهلهل مي بافت *Superior hujus arcis pars conscia erat arcanorum coeli, & cum angelis sermones miscebat; tectum ipsas stellas, quæ in pede leonis sunt, feriebat. Excubitores arcis, audiebant cœlitum voces, & nubes in inferiori parte tenuem telam texebant.*

Quam

Quam ſeptem omnino annos obſeſſam Huſeinus tenuit, quin efficere quidquam potuerit. Pag. 39. lin. 1. & ſeq.

Non *Huſeini* culpa incaſſo tot annorum labore obſeſſam fuiſſe arcem, *Jeminii* auctor his verbis comprobat: مدّت مديد در آن محاصرت بماند و وزير ابو الحسين عتبي بتواتر مدد فرستاد و اركان و اعضاد دولت را بر كفايت آن مهمّ تحريص ميكرد و هيچ وجه صورت مراد از حجاب تعذر بيرون نمي آمد و مقصود بحصول موصول نمي شد *Multum temporis in hac oppugnatione impendit, ac denique Vezirius Abul Huſeinus iteratis vicibus Atibium ad implorandum auxilium abs ſe dimiſit, atque optimates aulæ ad negotium iſthoc curandum inſtigabat; verum nulla ratione intentio ipſius ad interiorem principis aulam pervenerat; quare accidit, ut conatus ejus ſine effectu manſerint.*

Manſurus — — Abu Alium, Semgurium, ſubſtituit. Pag. 39. lin. 3. & ſeq.

Semgurii familia complures viros genuit, qui in re hiſtorica, imprimis ad ſequentes quod dynaſtias attinet, ingentem ſibi nominis famam pepererunt, in quibus *Huſeinus*, & *Abdullahus* præ aliis excelluere.

Abu Alius — — clam fidos ad Chalefum nuntios ablegat, qui renunciarent, neceſſe fore, ex hac arce in aliam ut ſe recipiat. Pag. 39. lin. 6. & ſeq.

Jeminii auctor hac de re diverſa ſentit; *Huſeini* enim in obſidione ſucceſſorem *Abul Haſan Semguri*, & arcem alteram, in quam poſtea *Chalefus* ſe receperat, arcem طاق *tāk* fuiſſe memorat, id quod veriſimilius videtur, quia in *Hagi Chalfe opere geographico* hujus nominis arx in *Siſtania* invenitur; ſed de hac commodior deinde erit diſſerendi locus; *Jeminii* interim auctoris ſententiam hic adferre lubet. ابو الحسن سمجوري بسيستان رفت و ميان او و خلف اسباب مودّت و مواخات و محبّت و موالات قديم موكّد و ممهد بود چون آنجايكه

آنجایکه رسید در سرّ کسي بوي فرستاد و بسبیل مواطات اشارت کرد که
مدّت مقام اخانت در ین ولایت امتداد یافت و خللهاء بسیار در اطراف
مملکت روي نمود و چون آنجه در آن مناف است مي رود سر و جان در
حفظ آن معروض حطیر نهاده مي شود برباد آید و بکال فرو شود سعي
هدر ماند و رنج بي بر کردد طریق آن است که از ین مقام بر خیزي و
برجاي دیکر تحویل کني تامن این لشکرهارا بهانه نیل مقصود وحصول
مطلوب از ین ولایت بیرون برم و چون عرصه خالي شد آنجي صلاح
وقت باشد بروفق ایثار و اختیار پیش کیري خلف این نصیحت شنید
و مقبول داشت و دانست که آن سخن از سر اخلاص وخلاص مي رود
و از حصار ارك بر خاست و بقلعه طاق رفت و ابو الحسن و اولیاء دولت
در اندرون حصار رفتند و بشارت بردند و فتح نامها بحضرت و هرطرف
روان کردند و خطبه و سکّه بالقاب نوح بن منصور مزّین کردانیدند
و روي بجانب خراسان نهادند *Abul Hasan, Semgiuri, in Sistaniam contendebat, cui cum Chalefo veteris amicitiæ necessitudo intercedebat. Hic eo perveniens, clanculum hominem ad Chalefum mittebat, qui amice illi renuntiaret, jam nimium temporis effluxisse, ex quo, contentionibus ibidem exortis, omnes propemodum regni partes perturbationibus agitentur. Haud ipsum fugere, sin ita simultatum caussæ maneant, omnia in tam dubio rerum discrimine periclitari; rem semper deteriorem fieri, omnemque locatam operam frustraneam fore, neque exantlatos labores quidquam profecturos. Eam igitur ipsi ineundam esse viam, ut, ab hoc loco discedens, in alium se conferat, tum demum se exercitus hoc specioso nomine, quod votorum suorum compotes facti sint, ex hac provincia reducere posse. Regione dein militibus rursus vacua, ipsius optionem futuram, quas partes amplecti velit. Chalefus hæc consilia grato animo accipiens, eo magis eis obtemperabat, quod perspectum ipsi erat, hæc Abul Hasani verba sincera esse. Ab arce Erek igitur egressus, in munitionem, Tak dictam, se recepit. Abu Hasanus contra cum viris principibus non sine singularibus lætitiæ signis arcem Erek ingressus, lætos de hac expugnatione nuntios tum ad aulam principis, tum in reliquas etiam partes misit. Et publicis precibus, & monetis item Nuhi, filii Mansuri, nomen celebrari coeptum est. Abul Hasanus autem rursus Chorosanam repetiit.*

Ex

Ex narrationis contextu *Mirchondii* tempus circiter ſtatui poteſt, quo arcem *Direk* exercitus *Samanidarum* occuparit. Notum enim eſt, ſub *Manſuro*, qui idem eſt, quem auctor *Jeminii* principem *Nuh* dicit, obſidionem coeptam, & ſeptenis omnino annis productam eſſe, dum nempe *Huſeini* loco *Abul Haſan* arcem milite cingeret. Cum itaque idem *Mirchondius* contendat, perturbationes paulo poſt in *Samanidarum* familia ſubortas eſſe, (id, quod poſt *Nuhül-Manſuri* obitum anno hegiræ tercenteſimo octogeſimo ſeptimo accidit) arcis quoque expugnationem in ea circiter tempora incidere, non abs re ſuſpicari licebit. Neque hoc prætereundum, in mappa videlicet regni *Perſiæ*, a *Delilio* olim delineata loc m in provincia *Siſtania*, nomine *Darec* inſignitum, non procul ab urbe *Zareng̅* meridiem verſus, occurrere, de quo autem nulla apud geographos Orientales, ut jam dictum eſt, occurrit mentio.

Eo porro tempore in ipſa Samanidarum familia jam perturbationes ſubortæ ſunt. Pag. 39. lin. 14. & ſeq.

Ex poſteriori *Mirchondii* hiſtoria de *Samanidarum* dynaſtia conſtat, poſt mortem principis *Nuh* totum pene ipſius regnum in partes ſciſſum eſſe; partim enim *Faikius*, dux exercitus apud *Samanidas*, regnum cum *Turkeſtaniæ* principe infeſtabat, partim *Mahmudus*, filius *Subuktegini*, dominatum *Chorofanæ* arripiens, novam *Gaznavidarum* dynaſtiam inſtituebat.

Naſſireddin Subugteghino quondam ad bellum ſacrum in Indiæ partes converſo. Pag. 39. lin. 22. & ſeq.

Naſſireddinus, dynaſtiæ *Gaznavidarum* conditor, miris a *Jeminii* auctore laudibus celebratus, *Turca* origine, & ابو اسحق آلبتكن *abu ishak elbtekin* libertus, *Manſurum*, filium *Nuh*, *Samanidam*, ad provinciam *Gazna* adminiſtrandam miſſum, ſecutus eſt; a cujus filio dein *Gaznavidarum* dynaſtia, centum quinquaginta quinque annos, *Emir Jahjai* teſte, perdurans, profecta eſt.

India

India, a *Mirchondio* هندستان *hindiſtan* dicta, *Arabibus*, teſte *Golio* in *notis ad Alfraganium*, بلاد الهند و بلاد السند *biladül-hindu biladüsſind* i. e. *India*, & *Sindia* compellatur. *Sindia* aquilonem verſus *Karamania*, ſeu potius regione *Mekran*, & *Segeſtanæ* deſerto, reliqua autem ſui parte fere *India* terminatur, cujus etiam nonnullas partes ſuis terminis includit. Ad africum mari alluitur, quod inde *Sindicum* audit, quodque altera parte *Perſico*, altera *Indico* proximum eſt. *Hagi Chalfe* vero & *Indiæ*, & *Sindiæ* alios limites tribuit: priorem quidem, quam اقليم هند *iklīmi hind* i. e. *clima Indicum* vocat, ad occidentem flumine, orientalibus هند *hind* dicto, ad ſeptentrionem monte *Tauro*, ad orientem oceano orientali, ad meridiem demum oceano *Indico* circumſcriptam eſſe afferit; *Sindiam* vero, quam nomen اقليم سند *iklimi ſind* a سند *ſind*, filio *Chami*, filii *Noe*, inveniſſe ait, ad occidentem provincia *Mekran*, & deſerto *Segeſtan*, ad auſtrum oceano orientali, ad orientem provincia *Kegerat*, ad ſeptentrionem denique regionibus *Tibet*, *Keſchmiro*, & *kiabulo* concludit.

Pag. 399 lin. 24. & ſeq.

Chaleſus — — *Boſtam ingreſſus eſt.*

Hanc *Boſtienſis* agri invaſionem, quam, abſente *Naſſireddino*, tentarat *Chaleſus*, adjunctis etiam rebus quibusdam, eo pertinentibus, ſcituque dignis, deſcribit *Jeminii* auctor, ut ſequitur: و او بفراغ تمام در ولايت خويش مطمئن بنشست و بكزاين جهان مستظهر شد و نخوت طغيان بر مزاج او استيلا يافت وحودرا بمعارضهٔ فحول و تعريض فضول در معرض خطر آورد و چون ملك هند آهنك ديار اسلام كرد و ناصر الدّين بمدافعت او بر خاست بر آن موجب كه در صدر كتاب مذكور و مسطور است خلف ابن احمد بست خالي يافت لشكري بدانجه فرستاد و در بست خطبه و سكّه بنام خود كرد و مال معاملات آن نواحي بستد و چون ناصر الدّين از آن وقعهٔ منصور باز كشت و ببست نزديك رسيد اصحاب خلف شهررا باز كذاشتند و برفتند و امير نصر الدين از بي حفاظي و غدر او ممتعض شد و عزم ناحيت سيستان پيش كرفت خلف كس فرستاد و بعذر هاء معلول و سخنهاءِ نا مقبول تمسّك جست و كفت اين جرأت از سر خلوص

سر خلوص خدمت رفت و اکر از قبل من شحنهء بست رفت براي حفظ
ولايت رعايت و رعيّت تو بود وخراج و معامله که تحصيل کرد از براي خزانهء تو
کرد و اکر ازين جهت غباري برحاشيهء خاطر شريف نشسته است ارش
اين جنايت را ملتزم شوم و غرامت اين بي خردکي بدهم ناصر الدّين از
سر کرم و لين مقادت و سجاحت طبع و شمول رأفت راه تغافل و تغابي
پيش کرفت و شمشير انتقام در نيام نهاد وباز سر رضا آمد و معاملات
بست باز خواست و او از طيب النّفس آن مال بفرستاد و حال مودّت
از شوائب کدورت صافي شد وذات البين معمور کشت *Hic* (Chalefus) *in ſua
provincia quiete conſederat, ob congeſtas immenſas opes clarus, dum,
ſuperbia elatus, novas mente ſeditiones agitabat, potentiamque, ac
vires ſuas experiri proponebat. Eo igitur tempore, quo, Indiarum
rege provincias Moslemorum invadere tentante, Naſſireddinus, il-
lum repreſſurus, in viam ſe dabat, Chalefus, filius Ahmedis (prout
initio libri jam notatum eſt) ad vacuam urbem Boſt ſuum mittens
exercitum, & publicas ibidem preces fieri, & monetas etiam ſuo
nomine cudi curavit, atque pecunias quoque ab illis partibus exige-
bat. Poſtquam dein Naſſireddinus victor ab expeditione rediens, urbi
Boſt jam appropinquaret, conſtituti a Chalefo præfecti, relicta urbe,
denuo ſe recipiebant. Naſſireddinus hac Chalefi perfidia ad iram
concitatus, in Siſtaniam ipſe movebat; Chalefus igitur legatos cum
literis, vanis excuſationibus plenis, obviam illi mittebat, queis
conteſtabatur, hanc temeritatem eo ſolum animo ſe perpetraſſe, quod
principis id ſervitio expedire crederet; nam præfectum, quem ſui lo-
co Boſtam miſerat, ad cuſtodiendam provinciam, regendosque ſub-
ditos ipſius loco ſe conſtituiſſe; omnia etiam vectigalia, pecuniasque,
inde extractas, gazæ principis ſe deſtinaſſe, & ſiquidem illius ani-
mus inde offendatur, hanc indecentem actionem debilitati ingenii ipſius
ſe ſe adſcribere. Naſſireddinus pro ingenita ſua manſuetudine, &
æquitatis amore facile veniam dabat, atque ab omni ulteriori vindi-
cta ſe abſtinens, eo contentus erat, ut extortam ab urbe Boſt pe-
cuniam reſtitueret, quam etiam Chalefus omni cum integritate red-
didit; atque hac ratione inter utrumque priſtina amicitia iterum con-
firmata eſt.*

Hujus similitudinem quandam refert, quod *Mohammedes Kasim Firischte*, urbe *Dehli* oriundus, ad annum hegiræ nongentesimum septuagesimum septimum in sua *historia Indica* commemorat: eo tempore, quo *Subukteghinus* supremo potitus est imperio, *Taigha* quidam, arci *Bost* præfectus, ab alio, cui nomen *Beb-dur*, vi ex urbe expulsus est, ita, ut *Nassireddini Subukteghini* auxilium implorarit, ipsiusque ope in priorem præfecturam, ea tamen conditione, restitutus fuerit, ut tributum annuum dependens, urbis hujus præfecturam gereret. Hoc eodem tempore *Subukteghinus* nosse coepit *Abulfethium*, qui scribæ munere apud *Beb-dur* fungebatur, eumque ad servitium suum invitavit, cui tamdiu se addixit, quoad *Mahmudus*, filius *Subukteghini*, thronum conscenderat, quo tempore, animo offensus, in *Turkistaniam* se recepit.

Pag. 40. lin. 10. & seq. *Simultates equidem & vice alia ipsum inter, & Subukteghinum exortæ sunt.*

Harum simultatum, quæ *Chalefum* inter, & *Emir Subukteghinum* intercesserant, diffusius meminit *Jeminii* auctor; hic interim præcipua rerum capita exposuisse sufficiat: cum *Nassireddinus*, *Samanidarum* principi, *Nuh*, filio *Mansuri*, contra *Ilek Chanum*, principem *Turcomaniæ*, suppetias ferret, *Oxoque* ea de caussa trajecto, moras tamen aliquantum traheret, propterea, quod amice rem componere speraret; *Chalefus* hæc inter furtivis literis *Ilek Chanum* incitabat, ut *Nassireddino* arma obverteret, ipse urbem *Bost* interea temporis petere intendens. Graviorem autem indignationem *Nassireddino* commoverat, quod *Chalefus* illi objecit, *Abu Alium*, suæ alias aulæ clientem, tam indigne ab illo habitum esse. His itaque incensus *Nassireddinus* iter jam in *Sistaniam* ingressus erat, vindictam a *Chalefo* sumturus; quod præstitisset etiam, ni *Bostiensis* ille doctor, *Abulfethius*, exquisitissimis verbis principis *Chalefi* animum demulcere elaborasset, hac etiam inter alia similitudine usus: hominis animum ejusdem naturæ esse, atque avem, quæ dum, pansis alis aera secans, libero cœlo fruitur, omne studium aucupes in eo ponunt, ut miseram aviculam, fraude artificiosa circumventam, in

rete

rete ſuum trahant, quo facto, omnem dein illius curam abjiciunt; amici animum ſuas ut in partes inclinent homines, omnem curam, ac ſolicitudinem adhibent; hunc jam ut addictum ſibi conſervent, bonis eum demulceant, minime vero offendant, neceſſe eſt. *Chaleſum* hoc pacto *Abulfethius* impulit, ut de reconciliatione gratiæ cum *Naſſireddino* per literas agens, priſtinam amicitiam redintegraret, quæ ad *Naſſireddini* uſque obitum inconcuſſa perduravit, ſicut poſtrema hæc ejusdem auctoris *Jeminii* verba oſtendunt: ناصرالدّين اين معاذير بسمع رضا اصغا كرد وبسر صفاء معهود و خلوص قديم باز آمد و تا اخر عمر ناصرالدّين اسباب موافقت ميان ايشان منتظم بود و ابواب مناصحت و محافظت بر حقوق ممالحت محفوظ *Naſſireddinus has excuſationes* (Chaleſi) *benigno animo excepit, atque ita vetus iterum reſtituebatur amicitia, quæ uſque ad finem vitæ Naſſireddini ſumma cum ſinceritate inter utrumque colebatur, & mutua fiducia omni cura, ſtudioque conſervabatur.*

Chaleſus --- Kermaniæ animo inhiarat; verum, cum ipſum inter, & Aſſadüddewlet firmum amicitiæ vinculum intercederet, ab hoc propoſito rurſus deſiſtebat. Pag. 40. lin. 14. & ſeq.

Aſſadüddewlet princeps, ob præclara facta in hiſtoriis admodum commendatus, illa familia progenitus erat, quæ a *Mirchondio*, aliisque nonnullis orientis auctoribus *Deilemitarum* familia, rectius vero ab aliis, ad hanc ab altera ejusdem nominis familia diſtinquendam آل بويه *ali boje* vocatur. Quarto poſt hegiram ſeculo hæc familia *Ali Boje* provincias *Yrak*, *Fars*, *Kerman*, *Chuziſtan*, *Ahwaz*, *Kilan*, *Tabariſtan*, *Giorgian*, *Mazanderan*, aliasque imperio ſuo complectebatur; ipſe vero *Aſſadüddewlet* ad regni gubernacula anno hegiræ tercenteſimo trigeſimo ſeptimo admotus, poſt triginta quatuor annorum intervallum ſucceſſori ſuo eadem reliquit, ut adjecta *Emir Jahjai* verba hic indicant: عضدالدّولة در رمضان سنهء اثني و سبعين و ثلثمايه در بغداد بصرع دركذشت و در شهر مشهد امير المؤمنين علي رضي الله عنه مدفون شد ولادت عضدالدّولة در يوم الاحد

آلاحد خامسي ذو القعده سنهء اربع و عشرين و ثلثمايه بود در اصفهان

Assadüddewlet, mense Ramazan anni tercentesimi septuagesimi secundi ex epilepsia Bagdadi supremum diem obiens, tumulo illatus est in urbe Mesched, ubi principis credentium, Ali, sepulcrum est, (de quo sibi Deus complaceat) primam Assadüddewlet in urbe Isfahan lucem aspexit feria prima, die quinta mensis Zuül-kaade anni hegiræ tercentesimi vigesimi quarti.

Pag.40.lin. 18. & seq. *Ut Samsamüddewlet regni gubernacula Schirazi susceperat, filium suum in Kermaniam expediit.*

Ex historia compertum est, *Samsamüddewlet* post fratris, majoris natu, mortem propter regni hæreditatem cum fratre altero, juniore bellum enatum esse; atque, his præmissis, penitius intelligitur, quid sit, quod *Mirchondius* in præsentis historiæ serie referat, *Samsamüddewlet* ob id maxime *Timur Taschio* infensum fuisse, quod illi cum fratre suo *Behaüddewlet* arctioris amicitiæ vinculum intercesserit.

Pag.41.lin. 8. & seq. *Collata itaque in confinibus Sirḡian fuere arma.*

Urbs سيرجان *sirḡiān* provinciæ *Kermaniæ*, longitudinis gradum 90. & 20′. latitudinis 29. & 30′. secundum *Nassireddinum*, & *Ulughbegium* obtinet; ab his autem discrepans, *Haḡi Chalfe* in opere geographico, urbis longitudini 92. gradus cum dimidio, latitudini 29. item cum dimidio tribuit. Eodem auctore hæc ampla urbs est, ad quam per aquæductus aqua deducitur, cujusque ædificia plurima fornicata sunt; munimentum quoque hic visitur, ab *Harunürraschid* Chalifa eo tempore extructum, quo regionis hujus incolæ Islamismum amplexi sunt; huic insuper munimento, quod & provinciæ præfectorum sedes est, octo sunt portæ, quarum illa, quæ occidentem versus patet, ad palatium ducit, cui قصر حاجب *kasre haḡeb* nomen inditum est. In maxima incolarum parte præcipua divitiarum, in muliebri vero sexu venustatis etiam commendatio est. Aeris temperies paulo calidior. Gossipium, & fructus, inprimis dactyli, hic

nati,

nati, reliquos generis præstantia facile superant. Ab hac urbe denique duabus stationibus occidentem versus جيرفت *gireft* urbs ejusdem provinciæ distat.

Chalesus filium suum Taherum in Kuhestaniam contendere jussit. Pag. 43. lin. 1. & seq.

Provinciam قوهستان *kuhestān*, *Golius* in *notis ad Alfraganium* sub كوهستان *kuhestan* nomine *Tabaristanæ* adnumerat, eamque a montibus sic compellatam esse, scribit; *Hagi Chalse* vero in *opere suo geographico* vocem قوهستان *kuhestān*, modo potissimum usitatam, a كوهستان *kūhestān* proficisci contendit. Una ex parte *Chorosanæ* desertum hæc regio, altera *Transoxanam*, & *Kabul*, provincias, attingit; subdita autem est *Diwano Chorosanensi*. Princeps illius urbs شهرستان *sehristān* appellatur. Pagi denique his in terris perquam rari, & longissime inter se submoti deprehenduntur.

Rege Jeminüddewlet ab expeditione Transoxana reduce, Beikara Hak, patruus ejus, assensum petiit, quo Taherum rursus e terris hisce expellere sibi liceret. Pag. 43. lin. 6. & seq.

Auctor *Jeminii* hæc eadem quidem, mutatis tamen nonnullis, refert, in quibus & hoc præcipuum, *Chalesum* illud potissimum tempus, filium videlicet *Taherum* cum exercitu in *Kuhestaniam* mittendi, opportunum existimasse, quo *Nassirüddinum Subukteghinum* supremum diem obiisse audierat. *Jeminüddewlet, Mahmudum* præterea, de morte patrui sui, propria *Taheri* manu occisi, certiorem redditum, ad repetendam vindictam anno hegiræ tercentesimo nonagesimo in *Sistaniam* adversus *Chalesum* arma movisse.

Historiæ *Indicæ* auctor, *Mohammedes Kasim Firischte, Dehliensis*, jam supra citatus, eodem anno tercentesimo nonagesimo *Mahmudum* Sultanum, *Balcha* ad urbem *Herat*, pauloque post *Herata* in *Sistaniam* festinato itinere contendisse, atque inde, *Chalefo*, filio *Ahmedis*, gubernatore *Bucharæ*, prælio fuso, *Gaznam* rediisse affirmat.

 Chale-

Pag. 44. lin. 1. & seq. *Chalefus ſe recipiebat in arcem Asfehbud, adeo altam, ut, nubibus tecta, ipſa adeo aſtra attingere videretur.*

Mirchondius arcis hujus, de qua ex aliis geographis orientalibus nil certius cognoſci potuit, deſcriptionem, miris metaphoris exornatam, ex hiſtoria auctoris *Jeminii* deprompſiſſe videtur, ut hic annexa hujus ipſius verba fidem faciunt: اين قلعه حليف سماک و اليف افلاکست ابر در دامن حضيضش خيمه زند و ستاره برامن اوجش طوّف کند هلال چون ماهچه بر شرف برجش و زحل چون کوکي بر آستانه قصرش

بيت

از بلندش فرق نتوان کرد ❋ آتش ديده‌بان زجرم زخل

Arx ob altitudinem confœderata ſtellis eſt, quæ pedes leonis dicuntur, & amica orbibus cœleſtibus. Nubes ad inferiorem arcis partem extendunt tentoria ſua, & aſtra circum tecta ſe rotant; novæ lunæ phaſes, & globus deauratus circa acroteria mœniorum, & Saturnus inſtar tritonis ſolarii apparet.

Verſus,

„ Ob altitudinem ſuam non poteſt diſtinqui
„ Ignis, qui per præſidiarios ejicitur, ab ipſo globo Saturni.

Pag. 44. lin. 11. *Iis tum curis diſtentus, ut in Indiam iter inſtitueret.*

Auctor *Jeminii* cum *Mohammede Kaſim Firiſchte* hanc a *Mahmudo*, filio *Subukteghini*, ſuſceptam in *Indias* expeditionem pluribus exponit; omnia tamen eo fere redeunt, ipſum *Indiarum* regem جيبل *gībal* gentilem, *Moslemorum* terras ingreſſum, a *Mahmudo*, filio *Subukteghini*, expeditionem ſacram religionis nomine adverſus illum ſuſcipere compulſo, felici prælio fuſum, captumque, & vita denique privatum fuiſſe.

Mahmu-

Mahmudus ob religionem *Mohammedanicam*, feliciter adeo in *Indias* prolatam, laudibus paſſim a Moslemicis poetis in coelum extollitur. Utque alios præteram, ex biographia illa, quæ *anthologiæ Perſicæ*, hic loci in lucem emiſſæ, adjecta eſt, affatim liquet, *Ferduſi*, *Ferræhi*, *Aenſari*, *Aesdſchidi* illuſtres omnes poetas, *Mahmudi* laudes decantaſſe, cumprimis & poſtremum horum celebre in hanc *Indicam* expeditionem epicedion condidiſſe, cujus hoc initium:

تاشاه خرده بین سفر سومنات کرد * کردار خویش را علم معجزات کرد

Quando hic ſapiens, & perpſicax rex idolis bellum indixit
Vexillumque ſuſtulit mirabilium ſuorum factorum.

Confecto etiam numeroſo equite, exercitum urbem Hürfet verſus deduxit. Pag.44.lin. 29. & ſeq.

Hanc *Kermaniæ* urbem a *Mirchondio* حرفة *hürfet*, ab *Hagi Chalfe* contra جرفت *giürfet* dictam, *Delilius* in geographica regni *Perſici* mappa *Giruſt* nuncupat. Hæc urbs, eodem *Hagi Chalfe* auctore, اسفي *esfy* etiam nomine nota, a mercatoribus ut plurimum incolitur, unde & vile hic mercibus pretium ſtatuitur. Ab oriente urbem *Sirgian* reſpicit. Perſica, & nuces plane eodem cum nivibus tempore provenire ſolent. Prata denique haud paucis fluminibus irrigantur. Quo loco urbs modo conſpicitur, eodem olim, provincia nimirum a Moslemis expugnata, ſylva fuit. Cum aer paulo calidior ſit, dactilos hic, & perſica magna copia procreari, neceſſe eſt.

Paulo alia ratione hic ipſe caſus refertur in translatione hiſtoriæ, a Jeminio conſcriptæ. Pag.46.lin. 7. & ſeq.

Jemini, ſeu potius كتاب يميني *kitāb jeminy* i. e. *liber Jemini* inſcriptio eſt hiſtoriæ, *Arabica* primum lingua in lucem prodeuntis, cujus auctor erat ابو النصر عتبي *abūn-næsr ætibi*, ætate, ut ex pagina 162. intelligitur, conjunctus cum Sultano *Mahmudo*, filio *Subukteghini*,

qui

qui operá illius in negotiis publicis utebatur. Hanc historiam posterioribus temporibus, dum ex *Atabekiorum* familia princeps ابو بكر بن آلاتابك آلاعظم ابي جعفر محمّد بن آلاتابك آلسعيد ابي سعيد الدكز *ābū beker benil-ātābekil-āæzem ābȳ gæfær mohammed benilatabekil-sæīd aby sæid ildegiz* imperium *Persidis* tenebat, anno nempe sexcentesimo quarto, ex *Arabica Persicam* fecit ابو آلشّرف ناصح بن ظفر بن سعيد آلمنشي آلجرباد قاني *abus-śeref nāsyh benī zafar benī sæidil-münśail-girbād kānȳ*. Bina e propria mea manuscriptorum collectione exemplaria in his, quæ adhuc de *Chalefo* notatu digna videbantur, mihi adminiculo fuere, ambo perantiqua, quorum unum anno hegiræ sexcentesimo nonagesimo primo, i. e. anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo primo, alterum anno hegiræ septingentesimo decimo sexto, Christi vero millesimo tercentesimo decimo sexto exaratum est.

Hæc historia seriem rerum, gestarum a *Nassireddino Subukteghino*, auctore dynastiæ *Gaznavidarum* (de *Samanidis* enim perpauca afferuntur) usque ad annum hegiræ quingentesimum octogesimum secundum complectitur. Eadem demum hæc historia tam *Arabica*, quam *Persica* reperitur in bibliotheca *Raghib Pascha*, publicos ad usus *Constantinopoli* patente, sub duplici hac inscriptione: تاريخ آلعتبي *tarichil-ætiby* i. e. *Annales Atibii* & شرح تاريخ آلعتبي *śerch tarichil-ætiby* i. e. *Versio annalium Atibii*, quæ cum *Persica* illa versione, de qua proxime sermo fuit, eadem videtur.

Pag. 46. lin. 10. & seq.

Chalefum principem sui loco ad avitum regni thronum evexisse filium, Ahmed Taherum.

Quod *Mirchondius* de perpetrata a *Chalefo* filii *Taheri* cæde narrat, nonsolum ex *Jeminii* auctore hausit, sed integris plane ejusdem verbis descripsit.

Pag. 47. lin. 11.

Interea Chalefus in Tak arce considebat.

Arx hæc ab *Hagi Chalfe* provinciæ *Sistaniæ* urbs minor, & alio item nomine حصن آلطاق *hysnüt-tāk* dicta, medii diei itinere ab

oppido

oppido *Chawasch* dissita est. Hortis, pratis, & pagis frequentibus circumdata est. In fructibus illius uvæ præcipue laudantur. Pone ipsam urbem sub editiore montis cacumine arx adjacet, quam fluvius circumfusus inexpugnabilem reddidit, ita, ut tuto hic thesaurus regius quondam asservaretur.

Hic itaque ob aeris temperiem locum, Ğiuzğianam dictum, sibi delegerat. Pag. 48. lin. 24. & seq.

Nominis *Ğiuzğian*, vel, ut *Mirchondius* scribit, جوزجانان *ğiuzğianan* nulla apud geographos vestigia deprehenduntur; si vocabuli analogiam spectes, verisimilius est, جرجان *ğiorğan* designari, cujus jam pagina 103. mentio incidit. Hæc opinio (licet ob aeris in hoc loco minus salubris temperiem, uti pagina 104. dictum est, haud omne dubium tollatur) ad verum tamen eo propius accedere videtur, quod auctor *Jeminii*, quem *Mirchondius* pene totum hic transcripsit, hujus etiam rei hunc in modum meminerit: ناحيت جورجان اختيار كرد بسبب موافقت آب و هوا *Quod districtum Ğiorğiānæ ob aquæ, & aeris salubritatem prætulerit.*

E re fore Sultano Mahmudo videbatur, ut in aliquam regni sui arcem ipsum transferret. Pag. 49. lin. 1. & seq.

Sæpe jam laudatæ historiæ *Indicæ* auctor, *Mohammedes Kasim Firischte*, *Dehliensis*, memoriæ prodidit, mense *Moharrem* anni hegiræ tercentesimi nonagesimi tertii *Mahmudum*, filium *Subuktegini*, denuo *Sistaniam* petiisse, quo *Chalefum*, præfecturæ munere male functum, *Gaznam* vinctum secum perduceret.

Quo in loco denique permansit, dum finem vivendi faceret. Pag. 49. lin. 2. & seq.

Quæ, *Chalefi* obitum commemorans, adjungit *Jeminii* auctor, ea verbis ipsius hic subjicere haud abs re fuerit: سلطان از بهر صلاح ملک اورا بقلعهء جردين فرستاد آنجا بگاه بود تا وعدهء حق در رسيد و

 صحيفهء

صحيفهء عمرش ختم شد در رجب سنهء تسع و تسعين و ثلثمايه
Sultanus (Mahmudus) *e regni neceſſitate eſſe vidit*, *ut illum* (Chalefum) *in arcem Ḡeredin transmitteret*, *ubi etiam permanſit*, *dum ipſi extrema demum dies illuceſceret; id quod accidit menſe Reḡeb anni tercenteſimi nonageſimi noni.*

Pag. 49. lin. 3. & ſeq.

Sultanus poſt hæc præceperat, *ut relictæ poſſeſſiones filio ipſius*, *Abu Hafizio*, *traderentur.*

Mirchondius filium *Chalefi*, cui relicta patris bona, *Mahmudi* juſſu, ceſſere ابو حافظ *ābū hāfiz; Haḡi Chalfe* vero pagina 110. *Taherum* appellat, *doctrina itidem*, & *virtute præſtantem*, *qui ſupremus regni moderator*, *palatio Taher* (*quod Bagdadi erat*) *nomen dedit.* Ab auctore *Jeminii* contra, ex quo, ut jam iteratis vicibus inſinuatum eſt, ſua *Mirchondius* excerpſit, ابو حفص *ābū hæfs* nuncupatur. Denique & illud hic addidiſſe juverit, quod *Abulfeda* in *annalibus Moslemicis* ad annum tercenteſimum nonageſimum tertium ſcriptum de *Chalefo* reliquit. *Seḡeſtana potitus fuit Jeminiddewlet Mahmud*, *filius Subuktegini*, *ejecto Chalefo*, *Ahmedis filio*, *quem ille Chalefum primum quadriennio*, *Ḡirḡianæ agere ſivit*, *deinde ademta prorſus libertate ad vitæ finem Giardinæ tenuit; Chalef ille ſtudio literarum magnam adeptus eſt famam*, & *edidit commentarium in Alcoranum*, *voluminoſum*, *ſi quod aliud*, *opus.*

Pag. 49. lin. 13. & ſeq.

Vaſtum hoc opus — — *in urbe Ispahan locum obtinet.*

Iſpahan, quod & اسفهان & اصفهان *isfahān* atque etiam اصبهان *ispahān* promiſcue ſcribitur, & dicitur, *Perſiæ* urbs eſt, toto orbe notiſſima, cujus accuratior deſcriptio optimam operi huic coronidem imponet. Conſentientibus *Naſſireddino*, & *Ulughbegio*, itemque *Golio* in *notis ad Alfraganium*, ſub gradu longitudinis 86, 40′. latitudinis 32. 25′. ſita, juxta *Haḡi Chalfe* 33. latitudinis gradum

dum obtinet, a *Naſſireddino*, & *Ulughbegio* provinciæ *Gebal*, ab *Hagi Chalfe*, *Yrakæ Perſicæ* adſcripta. Si modernum urbis nomen ſpectes, hanc cum *Aſpa Ptolomæi*, in *Parthia* ſitam, eandem eſſe veriſimile eſt. Teſte *Hagi Chalfe* inter depreſſiores montes extructa, urbibus tum antiquiſſimis, tum maximis adnumeratur, nomen ſuum ab antiquorum *Perſicæ* regum militia, اسپه *ispah* dicta, repetens, quæ in ea ſtationem habuit. Fuere olim eo in loco, quo nunc urbs conſiſtit, oppida ſane vaſta, numero quatuor, ex quibus in unum collectis hanc *Tamuraſus* civitatem condidit, in qua ſubin *Kaikubadus* ſedem regni ſui fixerat, quæve idcirco, confluente undique populo, in maximam civitatem excrevit. *Hebræi*, a *Nabonaſſare* ſedibus ſuis expulſi, his ipſis in locis olim conſediſſe feruntur, unde & hodiedum vicus a *Judæis* inhabitatus, یهودیه *jehudie* compellatur. Aeris porro temperie, tam æſtate, quam hyeme utcunque moderata, utitur, vix unquam gravioribus cœlo effuſis imbribus, aut terræ motibus, aut aliis cœli injuriis obnoxia. Qui urbem, hortosque diductis brachiis ambit fluvius, زندرود *zenderūd* nuncupatur; aqua itidem, ex puteis hauſta, & dulcis, & ſalubris eſt, neque fructus, hic loci procreati, ex ſeminibus, undelibet allatis, ſi mala punica excipias, præſtantia aliis inferiores ſunt, in quibus tamen melones, itemque poma & ſuavitate, & dulcedine omnibus anteferuntur. Suburbium, cui زلفه *zulfe* nomen, his proximis temporibus extructum, ab *Armenis* incolitur. Aſſerente *Hanwayo*, qui poſtremos inter ad hæc loca inviſit, præfectura *Iſpahanenſis* 24. milliaria complexa, in octo circulos dividitur, qui tempore *Nadirii*, anno videlicet 1742. extremas calamitates perpeſſi, potiſſima incolarum parte privati ſunt.

F I N I S.

INDEX RERUM, ET NOMINUM.

A.

K.

L.

M.

N.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

W.

Y.

Z.

Emendanda

in versione latina & notis.

Pag.	Lin.		Lege	
8	5	de cæde	*adde.*	*Ali*, filii.
—	17	*Abdullahii*	*adde.*	filii *Taheri.*
9	3	*Abdullaho*	*adde.*	filio *Taheri.*
—	12	annis octo	— —	annis septendecim.
—	—	quinque supra	—	octo supra.
10	10	*Abdullaho*	*adde.*	filio *Taheri.*
11	14	*Amrum.*	— —	*Omarum.*
—	15	lacessitum.	— —	lacessitos.
12	5	ast simul.	*adde.*	lusui.
15	8	misit	— —	misit.
17	18	*Salihius*	*adde.*	filius *Nasirii.*
—	20	*Leisius.*	*adde.*	servus *Salihii.*
18	1	*Salihius.*	— —	*Derhemus.*
22	14	meis	*adde.*	& me tuis ereptum.
24	24	aureorum millia,	*adde.*	quinquaginta minas musei.
26	6	*Kermaniæ*	*adde.*	& *Sistaniæ.*
32	21	filius	— —	filii.
34	9	sexto	— —	sexto.
—	15	sex	— —	sex.
36	23	*Omari*	— —	*Amru.*

※Pag.	Lin.		Lege.	
37	18	*in margi.* H. 253.	— —	H. 353.
38	24	*Bagdadum*	— —	*Bucharam.*
39	20	*Seifeddin*	— —	*Seifüddewlet.*
40	29	*Omarum*	— —	*Amrum.*
—	—	*Omaru*	— —	*Amru.*
46	8	a	— —	ex
—	11	*Ahmed Taherum*	— —	*Taherum.*
		NB. *in notis ad marginem a pag.* 53. *usqu. ad* pag. 64. *pro* pag. 1. & 2. *substitue* Pag. 3. & 4.		
80	16	mula	— —	multa.
—	26	*ek'āf'*	— —	*ektaf.*
92	21	*Iracam* ad *Babyloniæ*	— —	ad *Iracam Babyloniæ.*
100	30	hac eadem	— —	quæ hac eadem.
102	14	filii	— —	filii.
122	19	*Tahmurazo*	— —	a *Tahmurazo.*
124	33	septingenta	— —	septingentas.
138	4	numerat	— —	numerant.
※142	—	temporibua	— —	temporibus.

In textu orientali.

Fol. 2. *lin.* 14. بند بكويده *lege* بنده بكويد *Fol.* 3. *pag.* 2. *lin.* 3. طفر *lege* ظفر *ibid. lin.* 18. ستت *lege* ستّ *ibid. Fol. pag.* 2. *lin.* 8. احمد فضل *lege* احمد بن فضل *ibid. lin.* 11. احمد فضل *lege* احمد بن فضل *ibid. lin.* 13. احمد فضل *lege* احمد بن فضل *Fol.* 7. *lin.* 15. صبط *lege* ضبط *ibidem* نقضي. *lege* تقضي *Fol.* 14. *lin.* 1. ليث علي. *lege* ليث بن علي *Fol.* 16. *lin.* 5. هرس *lege* هوس *Fol.* 17. *lin.* 2. بولابت *lege* بولايت *Fol.* 18. *lin* 21. صيّت *lege* وصيّت *Fol.* 19. *pag.* 2. *lin.* 4. ابو حفظ *lege* ابو حافظ

Erinnerung an den Buchbinder. Das Persische folgt gleich nach den Index.


CONSPECTUS
PROUINCIARUM
REGNI PERSIAE
ممالك ايران
درحكومت شاهان
صفويان
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
MARE
CASPIUM
CHAREZM
GHILAN
MASANDERAN
ADER
BEIGIAN
Tabris
KURDISTAN
Fl. Tigris
Fl. Oxus
KUMS
KUHESTAN
Kum
IRAKI AGIEMI
Bagdad
Ispahan
Yesd
IRAKI ARAB
Eufrates
CHUSISTAN
Bassora
FARSISTAN
Istachar
Schiras
KERMAN
LAR
Bum
GOLFUS PERSICUS
Dehestan
Mesched
Astrabad
CHORASAN
Nischabur
Merw
Herat
Buchara
Fariab
Balch
KANDAHAR
Candahar
zarentsch
SEGESTAN
SABLESTAN
Fl. Hindus
MECRAN
J. Aßner sc.

هرچه تمامتر در آن بقلعه روزي بشب ميبرد و بعد از آن مكتوباتي كه با ايلك خان نوبشته بود ظاهر شد و سلطان اورا جهت مصلحت مملكت بقلعه از قلاع فرستاد واورا در آن قلعه بسر مي برد تا وعدهٔ حق در رسيد و سلطان محمود بفرمود تا تركهٔ اورا به پسرش ابو حفظ دادند در ترجمهٔ يميني به اين عبارت مذكوراست كه امير خلف ازاكابر ملوك جهان بود معروف بكرم وسخاوت طبع وكمال افضال و وفور مجدّ و جلال وانعام او در بارهٔ اهل علم وارباب هنر شايع و مستفيض و شعرآء جهان بمدح واطراي او زبان كشاده و مأثر او در افواه خاص و عوام افتاده علماء عصر و فضلاء دهر راجع كرد تا در تفسير قران مجيد وكلام نا مخلوق باري جلّ جلاله و تصنيفي مستوفي كردند مشتمل بر اقاويل مفسّران و تأويل متقدّمان و متأخران و بيان وجوه قراءت و علل نحو و اشتقاق لغايه مشحون بشواهد امثال و ابيات و ابرار واخبار واحاديث باز ميكفتند كه بيست هزار دينار از سرخ بر مراعات مؤلفان ومصنفان آن كتاب اتفاق افتاده بود واين تفسير در مدرسهٔ صابوني به نيشابور مخزون بود تا حادثه اغز در شهور سنهٔ خمس واربعين و خمسمايه روي نمود وامروز آن نسخه بتمام وكمال در اصفهانست درميان كتب آل خجند متع الله المسلمين ببقائهم واين ضعيف مصنف برحمت ابو الشرف ناصح بوقتي كه بوطن متوجه وبا صفهان مقيم مدّتها برياض آن تفسير مستأنس وازانوار مكنت ودقايق آن مقتبس بود وآنكتاب صد جلد است بقطع حال كه عمرتمام درانتساخ آن مستغرق شود و تحصيل آن خبربسالهاي فراوان ممكن نكردد تمام شد سخن مصنف ترجمهٔ يميني در باب خلف بن احمـــــــــد

تـــــــمّ

انصار خلف تلف کرد و بقیهء خلایق بحصار اندرونی گریختند و سپر مکاوحت در سر کشیده دست بجنگ و پیکار بر آوردند وخلف از برای مطالعهء این واقعه و مشاهدهء این حادثه از موضع خویش بیرون آمده دید که عرصهء زمین بعفاریت انس و شیاطین و شر موج زند و همان فیل در برابر چشم او سواری‌را بخرطوم از روی زمین در ربود و مقدار دو نیزه بالا در هوا انداخت و چون به نشیب آمد اورا بدندان بدو نیم کرده وخلف از ملاحظهء این حالت نزدیك بود که بیهوش کردد از غایت خوف و رعب کالبد او از روح تهی شود ولا جرم بفریاد آمد وامان خواست و سلطان از کرمی که در طبیعت پاك او مندرج بود خلف را امان داده شمشیر انتقام در نیام نهاد وخلف دست بجوایز مواهب و عطیات بر کشاده خودرا به پیش اسب یمین الدوله محمود انداخت و اورا بسلطان خطاب کرده یمین الدوله را این لفظ محمود بغایت خوش آمد و مبتهج و مسرور کشت بعد از آن خلف محاسن سفید خود را بر خاك بارکاه مالیده چندان درو جواهر نثار کرد که شعاع آن بر نور آفتاب غالب آمد و درطیّ کتاب عتاب و نشر جناح عفو و مرحمت و مغفرت مبالغه نمود وسلطان در اکرام قدر و تبجیل محل خلف نکته مهمل نداشت واورا در بر کرفته رقم نسیان بر سوابق وحشت کشیده حکم فرمود که خزاین قلعه و ذخایر آنرا بهرجا که خواهد نقل کنند و خدمتش را درمقام و مسکن مخیّر کردانید تا در ممالك سلطان بهر جا که خواهد متمکن ومتوّطن کردد و بروفق مراد وطبق مرام روزکار کذراند و او بسبب موافقت آب و هوا موضع جوزجانان اختیار کرد و سلطان محمود خلف‌را به احترام و عزاز به آن ناحیه روان فرمود و او مدّت چهار سال

هرچه

خفایا و خبایا پیش خواند و طایفه از خواص خویش را در کمین نشاند تا
بوقت وصول چون خیل زنان بر پرامن جرعه در آیند و چون طاهر بر
بالین پدر حاضر گشت اهل عذر طاهر را بگرفته و محکم بسته در مطموره
باز داشتند و بعد از چند روز اورا مرده از حبس بیرون آوردند و گفتند از
غایت ملال طاهر خودرا هلاك کرده طاهر بن زینب و دیگر قواد و امرا
که آن حالت مشاهده کردند ضمایر ایشان بر مخالفت خلف قرار گرفت و
سرایر آن جماعت بر عداوت او استقرار پیدا کرد عصابهٔ عصیان به پیشاني باز
بستند و دار الاماره خلف را متصرف شده خطبه و سکه بنام و لقب سلطان
محمود غزنوي مشرف و مزین گردانیدند و عرضه داشتي بحضرت سلطان
ارسال نموده از کماهي حالات اعلام دادند والتماس نمودند که رایات علیه
بدانصوب نهضت نماید سلطان ملتمس ایشان را مبذول داشته عزیمت
برجم مادهٔ فتنهٔ خلف مصمم گردانیدند و در آن اوان خلف بن احمد در
قلعهٔ طاق مقیم بود و آن قلعه هفت فصیل داشت که ساکنان بروج
هریك از ینها سنبلهٔ فلك میچیدند و زمزمهٔ ملك میشنیدند و خندقي
بعید الغور بگرد آن کشیده بودند و چون سلطان قلعهٔ طاقرا مخیم لشکر
ظفر انجام گردانید عساکر گردون مآثر در اندك فرصتي بالکي بیك روز
بموجب فرمان درختان را بریده بخندق افکندند وخاك بران ریختند
تا انباشته شد و در راه سوار و پیاده پدید آمد و خیول و فیول سلطان
در حرکت آمده بهدم آن حصار روي آوردند و در استخلاص حصار طاق
نطاق بستند و اصحاب خلف بقدم مخالفت پیش آمدند فیلي که معظم
افیال بود در قلعه را از جاي برکنده در هوا انداخت و جمعي از عوان و
انصار

اسیر کرده مقیّد باخود همراه آورده بود کفت که اکر شما مدد و معاون من باشید تا خلف را از ین مملکت بیرون کنیم شمارا رخصت دهم تا بولایت خویش بروید آنجماعت باوي اتفاق نموده جنکهاي مردانه نمودند و خلف شکست یافته در یکي از قلاع متحصن کشت و چون طاهر با خلف معاش پسندیده میکرد و هر چند خلف از قلعه کسان فرستاده مردم را با خود دعوت کرد فایده نداد آخر الامر از در حیله و مکر در آمده بطاهر بیغام داد که مرا بغیر از تو فرزندي نیست و خوف آن دارم که هلاك شوم و اموال من بدست بیکانکان افتد باید که تنها نزد من آیي تاهمه را بتو نشان دهم و طاهر بتصوّر آنکه خلافي در وعدهٔ خلف نیست خبر بپدر فرستاد که در فلان وقت بپاي قلعه حاضر خواهم کشت وخلف جمعي را درکمین باز داشت و در وقت مقرّر طاهر بپاي قلعه حاضر کشته خلف از حصار فرود آمد و پسر را در بغل کشیده کریان شد و مردم از کمین بیرون آمده طاهر را بکرفتند و بموجب فرمان اورا مقیّد ساختند و خلف اورا نیز بدست خود کشته تغسیل و تکفین کرد و در ترجمهٔ یمیني این حکایت بوجهي دیکر مسطور است چه در آن تاریخ مذکور است که در اثناء مراجعت سلطان محمود از دیار هند خلف بن احمد طاهر پسر خویش را بر سریر سلطنت نشانده مفاتیح خزاین باو سپرد و مقالید ممالك بوي تسلیم نمود و خود منزوي شده روي بعبادت آورد و از ملك استعفا نمود تا مکر بوسیلهٔ این حیله کأس یأس بر درد و جور سلطان ازو درکذرد و چون مدّتي برین حال بکذاشت ازکرده پیشمان شد و بر ترك ملك ازمنصب حکم نادم و متحیر کشت تا حیله بر انکیخت وتمارض نموده پسر را از بهر تجدید وصیّت و اطلاع دادن بر خفایا

